DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,
SISTENS QUAEDAM
DE
GLANDVLOSI OCVLORUM
SYSTEMATIS,
INFLAMMATIONE

QVAM
CONSENSV ILLVSTRIS
MEDICORVM ORDINIS,
IN REGIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE
VIRO MAGNIFICO ET ILLVSTRI
D. PHILIPP. FRIDER. MECKEL
ACAD. FRIDER. H. T. PRO-RECTORE,
MEDIC. ET ANATOM. PROF. P. O.
INSTITVTI CLINICI CHIRVRGICI DIRECTORE ET CIRCVL.
SALIC. ET MANSFELD. PHYSICO,

PRO
SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
PVBLICE DEFENDET
DIE X. NOVEMBR. MDCCLXXXVIII.

AVCTOR,
JOSEPHVS ELIAS PVLVERMACHER
WRATISLAVIA-SILESIVS.

HALAE,
APVD FRANCKE ET BISPINK.

D.

MEDIC

FRIDE

INSTIT

VIRO

MAGNIFICO ILLVSTRI,

D. PHILIP. FRIDER. MECKEL

MEDIC. DOCT. PROF. PVBL. ORDIN. IN ACAD. FRIDER. ET H. T. PRO-RECTORI MAGNIFICO, INSTIT. REG. CLIN. CHIRVRG. DIRECTORI: CIRCVL. SALIC. COMIT. MANSFELD. PHYSICO etc.

nec non

VIRIS

ILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS

AC CLARISSIMIS

D. IO. FRIDER. MORGENBESSER

MEDIC. AC PHILOS. DOCT. PROF. PVBLIC. ORDIN.

ANATOM. ET ART. OBSTETRIC. REG. COLLEG.

MED. ET SANITAT. DECANO; CIVIT. WRATISLAV.

PHYSICO etc.

D. IOAN. CHRIST. REIL

MED. DOCT. PROF. PVBLIC. ORDIN. IN ACAD.

FRIDER. INSTIT. REG. CLIN. DIRECTORI,

CIVIT. HALENS. PHYSICO.

D. CHRIST. FRIDER. LVDWIG

MED. ET PHILOS. DOCT. PROF. PVBLIC. ORDIN.

IN ACADEM. LIPS.

Praeceptoribus atque Fautoribus

ad cineres usque colendis

D. D. D.

AVCTOR.

PRAEFAMEN.

De oculorum inflammationibus hac demum aetate quidquam ſcribi aut diſſeri poſſe, vix quiſquam crediderit, qui ingentem hac de re tractantium Autorum numerum et novit et perpendit. Hocce interea morborum genus, ſive cognitionem ejus ſpectes, ſive curandi modum, eaſdem mutationes, ut quidem mihi videtur, ſubit, quas omnia illa morborum genera, quae licet, eodem reſpectu, ſummum perfectionis apicem attigiſſe viderentur, nihilominus ob experientias

novas

novas novaque inventa non potuerunt non ſubire. Morbos non multis abhinc diebus, definita quadam ratione tractatos, noſtra aetate, ob multiplices eorum cauſas accuratius cognitas, diſquiſitas exactius eorum ſedes, effectuſque eorundem pleniori examine diſcuſſos, alia omnino ratione definiri, aliaque, immo contraria ſaepius via tractari, quem quaeſo fugit? Quae an et ita in oculorum inflammationibus ſe habeant, ſequentes pagellae probent. An autem ſatis id probaturae ſint, rei peritorum examini commiſſum eſto: qui ſi errores deprehenderint, tyronem cogitent, eumque paratisſimum, qui vel errores detectos emendet, vel ſanioribus cupiat edoceri.

De glandulosi oculorum Systematis Inflammatione.

§. 1.

Inflammationem, morborum plurium, tam internorum quam externorum, horumque prae illis comitem, omnem, ob sequelas et noxias et salutares, attentionem mereri, jam eo patet, quod experientissimi artis medicae Viri illi eruendae et explicandae omnem dederint operam. Omnium instar cel. *Boerhavium*, *Swietenium*, *Gorterum*, *Hallerum*, *Haenium*, *Hambergerum*, *Hoffmannum*, *Whyttium*, *Cullenum*, *Macbridium* nominasse sufficiat! Hi viri, etsi inter se dissidentes, omni tamen cum perspicacitate, rem tractarunt, ita, ut alienum putemus, novam Inflammationis theoriam hic proponere. Quare de topicis

quibusdam tantum inflammationibus, et quidem de Systematis oculorum glandulosi inflammatione agemus. Haec enim, quum partes nobiliores occupet, atque ambigua ipsius sit tam diagnosis quam curatio, prae omnibus mihi digna visa est, quae paullo accuratius exactiusque investigetur. Mirum sane, quod ex ingenti librorum *) de Ocu-

*) Praestantiores eorum sunt: *Celsus*, de Medicina.

Job. Taylor, nova Nosographia.

De St. Yves, Nonveau traité des maladies des Yeux.

Mauchard Dissertationes de variis oculorum morbis tractantes. —

Antoine Maitre Jan, Traité des maladies de l'oeil.

Desbuis Gendron Traité des maladies des yeux.

Guerin, Traité sur les maladies des yeux.

Janin, Memoires et Observations Anatomiques, Physiolog. et Physiques sur Oeil et sur les maladies, qui affectent cet Organe.

Richter, Chirurgic. Fasciculus. —

Platner, Varia de Morb oculor. scripsit in suis Institut. et Opusculis Chirurgicis.

Pleuck, Doctrina de morbis oculorum. —

Warner, Description of the human Eye and its adjacent parts with their principal Diseases etc. —

Rowley, An essay an the Ophtalmy or Inflammation of the Eyes etc.

Oculorum morbis tractantium mole, vix aliquem oſtenderis, qui exactam inflammationis glanduloſae oculorum deſcriptionem ſiſtat. Quid? quod, ni fallimur, perfecta glanduloſae inflammationis theoria adhuc deſideretur. Tentemus igitur, utut tenuitatis ac inſufficientiae virium noſtrarum conſcii, hoc in ſpecimine quaedam proferre, quae rem dictam vel illuſtrent magis, vel provocent alios, ad eam exactius rimandam. Inſtitutum autem noſtrum vt aſſequamur, ordo rei exigit, ut primum pauca de Inflammatione diſſeramus.

§. 2.

Duos eſſe Inflammationis fontes, motum nempe minimorum vaſculorum oſcillantem, ſtimulo quodam auctum, nimiamque vaſorum relaxationem, patet ex ſententia Cl. *Macbride*. *) Quodcumque enim corporis humani vaſculum, vi quadam ſingulari (quam aut vim irritabilitatis aut vim vivam nominare, per me licet) pollere, **)

 quae

*) David *Macbride* Introd. in theoriam et praxin Medic. Baſileae 1783. tom. I. p. 162.

**) Videatur *van den Beſh* von der Reizbarkeit der Haar-Gefäſse.

quae ei facultatem, motum oſcillantem producendi, praebeat; immo totum ſyſtema vaſculoſum vi oſcillatoria gaudere, quae eo magis ſe exſerat, quo magis ad ſeſe exſerendam excitatur, notum eſt. Porro, vim elaſticitatis fere omnibus corporis humani partibus propriam, vaſculis quoque ineſſe, ſic ut facile diſtendantur relaxenturque, evictum habemus. Liquet ſimul ex argumentis a citato auctore ſuam in ſententiam adductis: utriusque cauſae conjunctionem, et motum oſcillantem auctum, et minimorum vaſorum relaxationem, (aut vim reſiſtendi imminutam,) ad inflammationis ortum requiri; eamque a ſola ſtimulorum, motum oſcillantem augentium actione, aut a ſola vaſculorum relaxatione umquam creari, negat.

Haec utriuſque cauſae conjunctio perneceſſaria, atque ad explicanda faciliori negotio inflammationis Symptomata faciens nobis videtur. Stimulus enim, qui motum oſcillantem producit, pro majori minorive gradu, uberiorem humorum copiam allicit, et in vaſa protrudit: quo ipſo ea diſtenduntur, ſimulque vaſcula minora dum relaxantur, humor craſſioris indolis, qui in ſtatu ſano ea permeare non potuiſſet, nunc facilius ea

transit,

transit, et distendit; hoc autem ipso et a materia, forsan aliena, in iis contenta, et propter distensionem, ipsa irritantur, motusque eorum oscillans augetur. Unita itaque vtriusque causae actione, sanguis in partis affectae vasa copiosius intrat, ac inconsueta quadam vi celeritateque impellitur: ex quibus Cl. *Macbride* omnia inflammationis Symptomata deducens, inflammationis calorem, a calore, per motum et attritum sanguinis in vasorum parietes et globulorum sanguinis inter se, aucto, derivat. Quum sanguinis praeter naturam calefacti volumen expansum, vasa dilatet, via liberior sanguini subsequenti sternitur; quo fit, ut plura vasa in statu naturali humorem diaphanum vehentia, nunc sanguine rubro impleantur; impleta vero ruborem, inflammationis, inprimis externae, inseparabilem comitem, contrahant. Deinde arteriae, propterea, quod nimium distenduntur, tumorem efficiunt magis minusve tensum: quo in loco, tela cellulosa laxiori et copiosiori praedito, inflammatio accidit. Arteriae justo magis distensae, systolen et diastolen, aequo majorem exserunt: inde pulsatio frequens in inflammatione. Dolor denique, propter solidorum vivorum distensionem, forsan etiam propter materiem

riem acrioris indolis vasa irritantem, quibus vis irritabilitatis non minus, quam vis sensibilitatis cientur, tamquam necessarium inflammationis symptoma accedit. Quod ad varios inflammationis exitus attinet, de eo aptius alio acturi loco, videamus jam: an glandulae supra dictis polleant requisitis, ita, ut vere inflammari possint?

Neminem fore, spero, qui nobiscum non conveniat, secundum ea, quae de inflammationis causis exhibuimus, glandulas inflammationem omnino subire posse. Plerasque enim earum multis vasculis arteriosis venosisque constare, (quae uti alia vasa, minori forsan gradu, motu oscillante praedita atque relaxationi eo magis, nisi fallimur, subjecta sunt, quo laxiori tela cellulosa gaudere videntur) palam est; indeque requisita ad inflammationem suscipiendam iis non deesse, patet. Superest, ut stimulum ad motum oscillantem excitandum atque ad eum adaugendum indicemus, quod negotium minoris difficultatis nobis esse videtur: nam praeter effectum, quem humor in aliena vasa propulsus exserit, et hoc accedit, quod acrimoniae quaedam singulares, e. g. scrophulosa, variolosa, cancrosa, venerea et aliae, glandulas

prae

prae omnibus aliis c. h. partibus ament, vasa earum vi acritudinis suae irritent stimulentque et ad majorem motum oscillantem disponant. Adhaec, signa in glandularum morbis apparentia, sat superque nos de vera earum inflammatione certiores reddunt: calor quippe semper in iis ita affectis sentitur; rubor ut plurimum, nisi materia morbifica in ultimis et interioribus excretoriorum vasorum finibus lateat, percipitur; tumor earum certe majorem, quam aliarum partium inflammatarum tumores, peripheriam habet, propterea, quod glandulae, nostro quidem judicio, laxiori gaudeant structura, notabiliori semper magnitudine apparet; immo et pulsatio aliquando sentitur, nec minus tensio dolorifica, agrotantes valde urgens adest, etsi non aeque acuta et vehemens, ac in aliis inflammationibus: quod, ut arbitramur, partim a structura laxiori, partim a minori neruorum copia, qui eas perrepunt, deduci potest. Denique, si ad morborum eorundem exitum respicere velimus, (de quo postea) non possumus non, quin omni cum persuasione fateamur, glandulas aeque, ac alias c. h. partes inflammationi obnoxias esse.

His praemissis, ad nostrum progrediamur Scopum. Instituti nostri ratio eo tendit, ut inflamma-

tionem glandularum oculi paullo fusius indagantes, ea, quae in plerisque cel. virorum scriptis hic illic, ad hanc materiam pertinentia et proficua occurrunt, nexu quodam atque ordine proferamus, verioremque de his morbis statuamus theoriam. Ordo itaque rei postulat, ut earum glandularum, quae ad oculi tutelam atque ad alios ejusdem usus inserviunt, brevem faciamus mentionem.

§. 3.

Quatuor hactenus in oculo humano partes glandulosae cognitae sunt; 1) glandulae Meibomianae, 2) glandulae carunculae lacrymalis, 3) glandula lacrymalis, denique 4) glandulae systematis lacrymarum, scilicet sacci lacrymalis et ductus nasalis, quae quidem strictiori sensu ad oculum non pertinent, ob loci tamen proximitatem, variamque, cui obnoxiae sunt, labem, a glandularum oculi propriarum inflammatione oriundam, omnem merentur attentionem: quare et non incongrue huc referuntur.

I. *Glandulae sic dictae Meibomianae*, *) inter utramque palpebrarum laminam in sulcis posterioris

*) Dicit ipse *Meibomius*: „sive eas in posterum glandulas voces, sive ductus glandulosos, per me licet.“

ris faciei cartilaginum tarsi dispositae sunt; sed non omnem hanc tarsi partem occupant: externa et interna enim ejus pars, ubi palbebrae ad angulos oculi constituendos accedunt, illis orbata est. Sub specie cavorum intestinulorum longitudine, et flexionibus variantium, sese offerunt; in quae iterum aliae subrotundae cryptae aperiuntur, et quae denique in ductus porosque excretorios, in utriusque palpebrae margine, numero triginta ad quadraginta visos finiuntur: eorum tamen numerus in palpebra superiori major est. Evomunt smegma, quod recens excretum magis limpidum est, atque accessu aëris in molle sebum abit. In quibusdam mammalibus recens natis, hae glandulae, ab aëre irritatae copiosam collam secernunt, ad paucos dies oculos conglutinantem. Simile quid Ophtalmia neonatorum exhibet, qui imprudenti consilio, statim a partu, nimio aëris luciſque accessui exponuntur. Harum glandularum usus est, ut humorem, oculum constanter lubricantem, et lacrymarum acrimoniam temperantem, secernant; qui irritationem frictione productam simul mitiget, et ad alia plura oculi emolumenta sit.

II. *Caruncula lacrymalis* est agmen glandularum sebacearum, in interno oculi cantho positum;

nonnunquam pilis aegre conſpicuis obſeſſa reperitur. Ab obtegente ipſam conjunctiva, quae ad ejus externam partem duplicata, palpebram tertiam efformat, comprimitur, indeque fit, ut materia ſebacea illi glandularum Meibomianarum ſimillima, ex ipſa excernatur. Uſus carunculae eſt, ut palpebras diſtendat, lacrymas ad vias lacrymales dirigat, etc.

III. *Glandula lacrymalis* eſt glandula conglomerata, ovalis figurae, duriuſcula, in plures lobos diviſa, ex qua nonnunquam continuatio non parvae magnitudinis verſus orbitae fundum tendens, oritur. Haeret ſupra oculi bulbum verſus canthum oculi externum in peculiari oſſis frontis fovea, tempora verſus. Eſt ſex ſeptemve ductibus excretoriis inſtructa, quorum praeſentiam plerique teſtantur Medici, v. g. Cel. *Briggs*, *Santorinus*, *Winslowius*, *Lieutaudus*, *Hunterus*, *Caſſebohmius*, praecipue autem cl. *Alex. Monro*, qui eos argento vivo ſe repleviſſe narrat; alii vero eos adeſſe negavere, vt Cel. *Hallerus*, *Morgagni* *Zinnius*, qui nunquam in oculo humano eos detegere potuerunt. Hi autem ductus prope tarſum palpebrae ſuperioris, in externa conjunctivae facie hiant, ibidemque inter palpebras et oculi bulbum

humo-

humorem tenuem, exigua tamen, in ſtatu ſano, quantitate, ſecernunt, ut oculus humectetur, etc.

IV. *Glandulae ſacci lacrymalis et ductus naſalis.* Ex analogia patet, internam pulpoſam ſacci lacrymalis, ductuſque naſalis tunicam, glandulas continere: ſiquidem ea pituitariae glanduloſae narium membranae continuatio eſt. Idem ex copioſa ſebi mucidi excretione, in quibuſdam viarum lacrymalium vitiis v. g. in fiſtulis lacrymalibus metaſtaticis, dum hae glandulae inflammatae ſunt, atque ex aliis, colligi poteſt. Denique a viris in anatomica re claris, viſae ſunt. *) Uſus harum multiplex, quorum autem primarius forſan ille eſt, ut acrimonia lacrymarum, quae immediate canalium lacrymalium ope, ad ſaccum naſalem ducuntur, mitigetur, ſicuti in aliis corporis humani partibus, per quas fluidum quoddam acre tranſire ſolet, contingit, v. g. in arteria aſpera, cui innumerae inſunt glandulae, e quibus mucus viſcidae indolis ſecernitur, ne aër athmoſphaericus, variis particulis acribus impraegnatus, hunc canalem permeans noceat; ſic urethra ope lacu-

*) Vid. Alb. ab Haller Elem. Phyſ. T. V. p. 333 et 336.

lacunarum in ea depositarum, e quibus perpetuo mucus exstillat, illinitur, ne urina acredine suo naturali damnum afferat.

§. 4.

His breviter descriptis, ad glandularum horum inflammationem accedere liceret; sed ante commemoratu digna antea indaganda nobis superesunt. Est enim, ut de glandularum conjunctivae oculi praesentia, nondum satis evicta, quaedam differamus. Cel. *Janin* *) eas per omnem hanc membranam dispersas, ductibusque excretoriis in externa ejus superficie apertas, adeoque parvas, ut in statu sano numquam omnino visibiles sint, statuit. Ex analoga conjunctivae cum aliis ejusmodi membranis natura, quae glandulas habent, atque ex illius cum cute continuitate, earum existentiam probare studet. Addit, se eas in statu praeternaturali tumefactas et obstructas tantae magnitudinis invenisse, ut oculis conspexerit, cultroque anatomico earum naturam investigarit. Quare et plurimorum in conjunctiua apparentium ulcus-

*) Memoires et Observations sur l'oeil, a Lyon 1772. p. 56.

ulcuſculorum ſedem et ortum ab his glandulis, ab acrimonia in eas depoſita intumeſcentibus et exculceratis derivat.

Quam vero ſententiam, ut nobis quidem videtur, argumentis non ſatis ſtringentibus obfirmavit.

Primo enim Cl. Zinnium erroris incuſat Janinus, quod lacrymarum majorem partem ex ultimis arteriarum, ſupra conjunctivam tunicam et internam palpebrarum membranam diſtributarum, finibus exhalare, aſſerat; haecque a ſe refutari exiſtimans, ſcribit. „Si la Sécrétion des pores „de la Conjonctive etoit fournie par des arterioles, „il en devroit reſulter un effet bien plus ſenſible „dans les Ophtalmies humides. Le flux des lar„mes eſt cauſé pour lors, par l'atonie de cette tu„nique; elle ſe manifeſte par la dilatation de ſes „pores excréteurs. Or dans ce cas, il devroit „s'enſuivre un flux de Larmes ſanguinolent et „c'eſt ce qui n'arrive jamais. Admettra t'on, „que les vaiſſeaux excréteurs de la Conjonctive „ſont lymphatiques et non ſanguins; et conclu„ra t'on de la, que la ſeroſite, que fourniſſent „les pores de cette tunique ne peut être que dia-

„phane,

„phane, même dans l'etat d'atonie de cette mem-
„brane? On répond, qu'on a reconnu, que les in-
„flammations ne ſont cauſées, que par le paſſage
„des globules ſanguins dans les vaiſſaux lymphati-
„ques, dont les tuniques ont perdu preſque les
„oſcillation; comment ſe pourroit il donc faire
„que dans le cas d'une forte ophtalmie, les con-
„duits excréteurs de la conjonctive, puiſſent, mal-
„gré leur dilatation contre nature, mettre obſta-
„cle à la ſortie des molécules du ſang?"

Quae argumenta, ingenioſa quidem, paullo
accuratius perpenſa tamen, fundamento parum
firmo nituntur. Ponamus enim a vaſorum dila-
tatione copioſiorem lacrymarum effluxum deri-
vandum non eſſe; ad ſtructuram conjunctivae
glanduloſam confugiendum tamen non eſt: alia
quippe, eaque veriſimiliora ſunt, quae hanc in re
faciunt. Quem enim latet, e vaſis ad ſecretionem
aut ad excretionem conſtitutis, ſtimulo, etſi me-
diocri accedente ſe-et excretiones augeri? Si ita
que conjunctivae vaſa a ſtimulo quodam irritantur
uberiorem ſane copiam lacrymarum, ad quas per-
petuo ſecernendas deſtinata ſunt, ſecernent. Vi-
deamus demum, num ſtimulus quidam adſit, qui

in ophtalmia humida vasa irritet. Equidem, si sub ophtalmiae nomine inflammatio intelligitur, non est, ut de stimulo disputemus: exinde enim, quod nulla Inflammatio absque stimulo locum habere possit, (§. 2.) per se patet. Sed et aliam legem in inflammatione topica tanquam perpetuam fere, percipimus: Si vas nempe partis alicujus a materie in eo infarcta, aut ab alia quacunque, acrimonia irritatur, motus oscillans auctus non solum vas unicum obstructum aut affectum tenet, sed et omnibus aliis vasis huic vicinis cumque eo anastomosi unitis, motus oscillans, forsitan consensus vi, traditur. Quum autem vasa in conjunctiva ita inter se communicent, ut fere rete constituant; non potest non fieri, quin uno aut quibusdam conjunctivae vasis obstructis aut alio modo affectis, ideoque inflammatis, omnia alia, cum his inflammatis communicantia, consensum ineant et simul irritentur. Videmus itaque in Ophtalmia humida, ea quoque vasa, quae immediate inflammata non sunt, stimulum tamen accipere; stimulo autem irritata, cogi ad laticem lacrumosum copiosius excernendum.

His perspectis, facile liquet, copiosum in Ophtalmia humida lacrymarum effluxum nec a vasorum

ſorum dilatatione, nec a glandulis in conjunctiva diſperſis, ſed potius ab irritatione ipſorum vaſorum pendere. Porro, etſi concedamus, vaſa diuturno ac perpetuo irritamento tandem relaxata, dilatari, ideoque cauſam uberioris lacrymarum effluxus eſſe poſſe; tamen non ſequitur, hunc effluxum ideo ſanguinolentum eſſe debere. Primum enim ea vaſa, quae conſenſu irritantur (per quod majorem laticis lacrumoſi, quem vehunt, copiam alliciunt) tantum humore diaphano ac ſeroſo replerentur atque infarcirentur, ideoque effluxum ſeroſum, non vero ſanguinolentum efficerent. Demum, etſi illa vaſa, per quae alias humor ſeroſus meat, nunc verum ſanguinem recipiunt; tamen excretionem ſanguinolentam vix exſerent, niſi corrodantur aut ſolvantur. Anatomia enim nos docet, omnium arteriarum, et vaſorum ſecretoriorum et excretoriorum ex arteriis immediate orientium diametros eo magis decreſcere, quo magis verſus finem aut ad ultimum ramulum tendunt. Poſtremo vaſa ſeroſa ita tandem imminuuntur, ut eorum lumina fere exiliſſima fiant, per quae non niſi fluidis ſubtilioribus, iis reſpondentibus, tranſitus conceditur; inprimis autem ea vaſa eo ſubtiliora evadunt, quo graciliores ſunt tunicae, quas irre-

irrepunt. Accidit nihilominus saepe, ut vasa haec, ubi ex arteriis oriuntur, ita dilatentur, ut sanguis ea quidem subire, per ultimas autem eorum angustias penetrare neutiquam possit: raro enim sane eae ita constituuntur, ut Diametri earum satis spatiosae ad sanguinis transitum fiant: quod Cel. *Boerhavius* testatur *) ita differens: „Simul ac aliqua causa facit, ut vascula lateralia „plus dilatentur, quam in statu naturali: jam re„cipiunt sanguinem rubrum, sed transmittere non „possunt; et microscopiis adhibitis, observamus „in ophtalmia, vasa illa crispari e rigiditate, quam „induunt: unde adparet, ultimos arteriarum fines „ita arctos esse, ut nihil transmittant.“ Alio quoque loco **) de inflammatione agens, hanc ipsam oriri posse ait, „vel in finibus arteriosis vel in vasis „serosis, lymphaticis, aliisve minoribus, arterio„sis, dilatatis osculis admissos globulos rubros aut „alia fluidi elementa crassa, per fines transmittere „non potentibus.“

Et profecto, licet ultimi ramuli valde dilatentur, forsan tamen ob minorem, qua gaudent, elasticita-

*) De Morb. ocul. §. 51.
**) Aphor. de cognosc. et curand. Morb. §. 372.

ſticitatem, forſan etiam ob ſtructuram gracilem et tenuem, parietes eorum diſtendi ita vix poſſunt, ut aeque ac vicina vaſa augeantur diametro; et ſi — quod animo noſtro concipere vix poſſumus — acciderit, ut ſanguis, aut alius juſto craſſioris indolis humor, ultima vaſa penetret, ea certe potius diſruptum quam extenſum iri putamus; ita enim in nonnullis ophtalmiis haemorrhagiae, ſugillationes et lacrymationes ſanguinolentae oriri poſſent: quod autem perraro accidiſſe, experientia, ut Cl. *Janin* ipſe fatetur, docet. Si quis forſan cum Janino dicat: eo ipſo, quod vas dilatetur, id aptius reddi, ad materiam infarctam ad ultimum ejus finem protrudendam; reſpondemus, vaſa quo magis dilatantur, eo debiliora atque, ut in maſſam contentam reagant, ineptiora fieri: quae vero reactio ad contenti propulſionem quam maxime neceſſaria exiſtimatur.

Patet ex his, etſi dilatatio vaſorum ſeroſorum cauſa effluxus eſſe poſſet, hunc tamen non ſanguinolentum, quod Cl. *Janin* arguit, eſſe oportere; nec ad copioſiorem lacrymarum non ſanguinolentarum in Ophtalmia excretionem requiri, ut ad glanduloſam conjunctivae ſtructuram confugiatur.

Cum

Cum Cl. *Zinnio* arbitramur potius, istum humorem in ophtalmia e supradictis causis copiosius excretum, aeque in statu sano, ac in morboso, a poris vasorum serosorum, a conjunctivae arteriis sanguiferis orientium, exhalare.

Ad aliud Janini argumentum nos convertamus, et ad hoc quidem, quo Cel. Vir glandularum conjunctivae praesentiam autopsia probare conatus fuit, innuens: „Avez vous vu, dira t'on, les „glandes, que vous assignez à cette tunique? je „réponds, qu'il n'est pas possible de les distinguer „dans l'état naturel; mais lorsquelles sont engor„gées, non seulement elles sont très-visibles, „mais on peut reconnoître leur structure.“ Ad hoc confirmandum tres exposuit observationes, quarum duas in feminis viventibus, quae tumore in interna palpebrarum facie laborabant, tertiam vero in cadavere collegit. Puella nempe, viginti duos annos nata, vexabatur tumore in superficie palpebrae superioris interna prope canthum majorem vel internum, forma magnitudineque fabae. Mox quaerit: „quelle pouvoit être la cause de cet„te tumeur squirreuse? Ne dependoit elle de la „tumefaction des glandes de la conjonctive?“ Sed

minime! nam primum Janin peccavit, ex morbosis, iisque saepius ambiguis, fallacibusque phaenomenis certa atque vera colligendo, ea ferme ratione, qua veteres, ex adjunctis quorundam exanthematum, Infantes praecipue vexantium, comedones in cute latentes collegerunt. Adhaec: suntne ibi semper glandulae, ubi tumores? Nonne saepe tumores iis partibus inhaerent, quae glandulis, immo structura glandulosa omnino carent? Et quis est, qui nesciat, in palpebrarum quibusdam locis, tumores oriri, quin glandulae quidquam habeant? Quid e. g. Atheroma *) Meliceris, Steatoma, **) Trachoma ***) Verrucae ****) Chalazion, Pladarotes *****) et omnes ejusmodi tumores sic dicti tunicati vel saccati? ******) Quotquot autores hac de re scripserunt, consentiunt, hos tumores non solum a cujusdam humoris in cellulas, a tunica cellulosa adiposaque constitutas, effusione — qui humor in

*) *Manchard* dissert. de palpeb. tumor. cystic. §. 4.

**) Vide *Bernstein* Handb. für Wundärzte cap. tum. Cystic. - Maitre Jan Traité des malad. des yeux. p. 495.

***) *Plenck* de morb. oculor. p. 29.

****) *Gendron* Traité des malad. des yeux. tom. I. p. 154.

*****) *Platneri* Institut. chirurg. §. 782 et 783.

******) *Richters* Anfangsgründe der Wundarzk. cap. 17.

in cellulas effusus, ibique accumulatus, vitiata resorptione stagnat, crassescit, atque induratur — oriri, sed etiam eos in utraque palpebrarum superficie gigni, earumque tunicam elevari posse. *)

Verosimile itaque fit, Janinum similes in puellae palpebris tumores observasse, eosque praeconcepto forsan animo, pro glandulis tumefactis habuisse.

Alteram observationem Janin adducit, qua, structuram horum tumorum illi glandularum simillimam, cultroque anatomico sibi probatam censet.

„Madame de Bougeauville, inquit, me consulta sur une pareille tumeur, qu'elle avoit à la „partie interne de la paupiere inférieure. Cette „tumeur étoit formée par l'assemblage de plusieurs „petites glandes oblongues, dont je fis l'extraction, „et après les avoir fait macérer dans l'eau, j'en in„cisai plusieurs avec une lancette, et je reconnus, „par le secours d'une loupe, que chacune d'elles „avoit le lacis et la structure d'une veritable glande.„ Omnia ad secundum argumentum refellendum supra

 dicta,

*) Vid. *Mauchart* l. c. §. 6.

dicta, hic etiam ad eundem ſcopum valent, hoc addito: horum tumorum ſtructuram illi glandularum admodum ſimilem eſſe, docente Cl. *Richtero* *): eos non in uno duntaxat ſacco recluſos, ſed aliquando in plurimos ſacculos diviſos eſſe, ideoque folliculorum glandularum ſpeciem praebere. Confluxus itaque minimarum oblangarumque glandularum a Janino conſpectarum, ejuſmodi tumor in plures tunicatos ſacculos diviſus fuiſſe videtur, hincque fallaces illae apparitiones maceratione exſertae, cel. virum ſeduxerunt, ut ſe glandulas vidiſſe crederet.

Ad tertiam Janini obſervationem in cadavere inſtitutam nunc venimus; ita ſe verba habent! „En faiſant, inquit, des experiences ſur les yeux „d'un cadavre, en 1765, je trouvai, ſur la con„jonctive de l'oeil droit, à deux lignes du limbe „de la cornée, du côté du petit angle, dix petites „tumeurs, très près l'une de l'autre; chacune étoit „de la groſſeur d'un grain de millet; j'enlevai cette „portion de la conjonctive, ſur laquelle j'obſer„vai, 1°, que ces tumeurs étoient dans la ſubſtan„ce de cette tunique; 2°, en ayant inciſé deux, je „recon-

*) l. c. cap. 17.

»reconnus à la faveur d'un microſcope, qu'elles »étoient, quant à leur ſtructure, ſemblables aux »glandes, qui nous ſont connues; 3°. ayant fait »macérer les autres dans l'eau, elles augmente»rent en volume, et je remarquai, que chacune »étoit enveloppée d'une capſule, et que leurs par»ties internes ne différoient en rien des premieres.« Cl. *Mauchart.* *) jam notavit, tunicam oculi conjunctivam aliquando veſiculis infeſtari, quae ratione figurae ac humoris contenti, ab aliis tunicarum oculi tumoribus valde differunt; v. g. a puſtulis, ulcuſculis etc. Oriuntur autem a lymphae extravaſatione, quae inter tunicas in quibuſdam earum punctulis effunditur; loca, quae occupare ſolent, ſunt conjunctiva et tunica cornea, idque variis quidem in punctis; frequentius vero verſus angulum oculi internum, mox ſupra, mox infra, circulum corneae externum. Numerus earum variat; plerumque plures ſunt, plus minuſve a ſe invicem diſtantes. Magnitudine raro eam milii ſeminis ſuperant, ſucceſſive vero majus capiunt incrementum; doloris expertes ſunt ut plu-

 rimum

*) Diſſert. de Conjunctivae et Corneae Oculi tunicarum veſiculis ac puſtulis. 1748.

rimum et per annos ſubinde geſtantur ſine notabili moleſtia; viſum non turbant, niſi notabilem concitent inflammationem, vel corneae medium e directo pupillae obſideant. Continent hae veſiculae liquorem ut plurimum diaphanum; alium rarius. Siſtunt quoque colorem, vitio vel ipſius liquoris contenti, vel capſulae, cujus tunicae mora incraſſantur vel indurantur, varium; liquoris enim in capſula contenti craſſities nunc major nunc minor fuit obſervata.

Nonne ex his arbitremur, Janinum in cadaveris oculo ſimiles obſervaſſe eminentias tumidulas, aut veſiculas, quae vel inveteratae vel poſt mortem ita induratae fuere, ut ſpeciem glandularum exhiberent? In moribundis ſaltem obſervatur, lympham ex vaſculis corneae excretam, hanc, quaſi pellicula obducere, ideoque caliginoſam, ac minus diaphanam reddere: quod, niſi fallimur, ab humore palpebrarum in naturali ſtatu lento, glutinoſo, ſed jam ſub agone mortis, cum eo corneae mixto, incraſſeſcente, in telam coeunte, oritur. Si jam in agone mortis incraſſatio humorum ſtagnantium tanta eſt, ut telam efformet: eo firmiores atque filamentoſiores humores fient, quo diu-

tius

tius hic ſtatus duraverit, ſic, ut facile ſpeciem corpusculi alicujus glanduloſi acquirant.

Haec omnia Janini experimentis reſpondent. Etenim 1) conſtat, hos tumores ab eo in conjunctivae ſubſtantia obſervatos fuiſſe: veſiculas autem in conjunctiva ſedem ſuam habere, ſupra indicatum eſt; 2) quod hae veſiculae cultro Anatomico disciſſae, microſcopio obſervatae et ſimilitudinem ſtructurae glanduloſae Janino praebuerint, valde cum eo convenit, quod de earum mutationibus, quas in corpore mortuo ſubeunt, dictum eſt. 3) Quod ad capſulam attinet, quam Janin maceratione ſe vidiſſe ait, facile perſpici poteſt, eam fuiſſe illam capſulam, quae veſiculis ita eſt propria, ut ſine ea veſiculae ne quidem adeſſent.

Ultimum denique Janini argumentum, quo exiſtentiam conjunctivae glandularum ex analogia demonſtrare ſtuduit, liceat et hic propriis ejus verbis illuſtrare. „Pour quelle raiſon, ſcribit, „excluroit on ces corps glanduleux de la conjon„ctive, puisque presque tous les Anatomiſtes con„viennent, qu' on en trouve dans tout le tiſſu de la „peau? quel défaut de reſſemblance trouve t'on „dans ces deux tuniques? Seroit -- ce parce que

 „l'une

„l'une eſt plus déliée, que l'autre? Non ſans dou-
„te. N' avons-nous pas dans toutes les cavités
„queleonques de notre corps, des tuniques dont
„la texture eſt bien plus fine, ou du moins auſſi
„délicate, qui ont des glandes et des conduits ex-
„créteurs, d' où coule ſans ceſſe un fluide propre
„à humecter toutes les parties contenues dans l'eſ-
„pace, qui les renferme, pour empêcher le deſ-
„ſéchement des fibres, qui les compoſent, et des
„tuniques, qui les enveloppent? On ſait, que le
„fameux Molinelli a reconnu que le ſac lacrymal
„et ſes conduits ont des glandes, d'ou ſuinte ſans
„ceſſe une humeur ſecretoire. Quelle ſeroit donc
„la cauſſe, qui empêcheroit la conjonctive de parti-
„ciper à la tranſpiration générale? Elle a reçu,
„dans ſa conformation, la même organiſation et
„les mêmes prérogatives, que les autres membra-
„nes, qui lui ſont analogues." Quod ad primam Cl.
Autoris quaeſtionem attinet, haud ſequitur ex eo,
quod univerſae cuti corpuscula glanduloſa ſint, con-
junctivae etiam tamquam ejus continuationi eadem
eſſe debere. Hanc Natura conſervatrix forſan
conſulto glandulis non inſtruxit, ut eo conſtantior
et citior humoris ſubtilis excretio eſſet, nec fre-
quentioribus alienationibus aliisque pluribus vitiis
tur-

turbaretur, quibus humores a glandulis secreti obnoxii sunt. Ea siquidem membrana, conjunctivam putes, perpetuo aëris accessui aliisque potentiis nocentibus externis exposita est. Accedit, quod, etsi cutis continuatio sit, attamen non ipsius structura ex toto polleat, si Cl. Zinnio *) assiduo oculi humani investigatori fides tribuenda sit, asserenti, conjunctivam quidem verae cutis, sed introrsum susceptae, et sensim degenerantis continuationem esse.

Ad alteram Janini quaestionem alia moveri potest: quaenam scilicet sint illae tunicae, texturae subtilissimae, quae glandulas habeant? Nam nec pleura, nec pericardium neque peritonaeum illas continere, a celeberrimis viris evictum est: cur conjunctiva, his omnibus delicatior eas haberet? Vix ut arbitramur, credendum, nec probabile, minus evictum est, illas tunicas, quae quasdam corporis cavitates investiunt, glandulis instructas esse: siquidem pleraeque nil aliud sint, quam continuationes Epidermidis, membranae tenuis, omni vasculosa organisatione destitutae. Adhaec glandulae a tunica, intimam cana-

*) l. c. Cap. XII.

canalis alimentaris ſuperficiem obducente certe abſunt. Veroſimilius eſt, eas ſub his ſubtiliſſimis tunicis, in quavis parte, ab hac membrana obtecta, poſitas eſſe, earumque ductus excretorios, membranulam penetrare et oſtiolis ſuis in cavitatem aperiri.

Negari interea non poteſt, ſacco lacrymali viisque aëriferis tunicam glanduloſam eſſe; ſed forſan Natura eum in finem ejusmodi ſtructuram his partibus indidit, quae noxiis a reſpiratione pendentibus effectibus proſpiciat, inſervientesque alios ad uſus ibi ſervet. Denique, etſi conjunctivae ſtructura glanduloſa non ſit, tranſpirationis tamen munere non caret: hoc quippe negotium ubique tam in externa quam in interna corporis ſuperficie vaſculorum cutaneorum aliorumque ope fit.

Haec ad Janini argumenta! pluribus, brevitatis gratia, omiſſis.

§. 5.

Nunc eo in tramite, quem proſequi nobis propoſuimus, progrediamur. Poſſunt omnes ſupra enumeratae glandulae inflammari, a ſtimulo di-

diverſae indolis illis admoto, et pro gradu, quo agunt, pro loco, quem occupant, proque exitio quod exſerunt, varias glandularum oculi morborum ſpecies, ad unum eundemque tamen morbum primarium reducendas, producere. Hae vero glanduloſae oculi inflammationes ſaepe ab aliis morbis, qui ſimul urgent, originem ducunt. Itaque non incongrue vel ſymptomaticae vel ſympathicae nominandae ſunt: univerſim autem a membranarum oculi inflammationibus longius diſcedunt, ita ut, quod poſtea videbimus, ſua ſigna peculiaria, proprias cauſſas, medelamque ſingularem agnoſcant. Quantum igitur Medici ac Chirurgi interſit, ut non earum ſolum naturam rite perſpiciat; ſed et morbi, ſymptomatumque ejus indolem penitius inveſtiget, ne perverſa inſtituator medela, (uti, proh dolor! ſaepe accidit,) pluribus evincere neceſſe non eſt: ſiquidem multifariae mox dicendae cauſſae ut auferantur, quaeque pro ſua natura, agendi modum exigunt peculiarem. Ne quid de morbi ſtadio, gradu atque exitu dicam, quae omnia magni momenti ſunt et in harum inflammationum curatione reſpicienda; quaeque a plerisque ſcriptoribus, etſi non omnino omiſſa, attamen inordinatim ac confuſe expoſita

vi-

videmus. Unde et exiguus ejusmodi descriptionum observationumque usus: iis enim perlectis, lector saepe incertus ac anceps haeret, utpote hic non satis instructus, quo in gradu, statu, quaque periodo morbi, remedia ea, quae autores tamquam salutaria commendant, adhibenda aut omittenda sint. Porro ambiguitas Lectoris et eo augetur, quod Autores curationis et medicamentorum adhibendorum ratione, saepius inter se nimium dissentiant: hic enim in ophtalmia, majori cum emolumento, quod dicit, Emollientia adhibuit; ille haec damnat, et Adstringentia in coelum extollit: licet utraque medicamina, etsi diversae indolis sint, tamen perquam proficue in uno eodemque morbo, in Ophtalmia nempe, sed in diversa morbi periodo, ab utroque adhibita fuerint. Videamus ergo, an meliori cum successu, nostro hoc specimine ambiguitatem illam tollere et defectus, e quibus nascitur, emendare valeamus. Nostrum hoc propositum eo certius attingere speramus, quo accuratius morbum ipsum, Ophtalmiam nempe glandulosam, ejus decursum ac habitum in quolibet ejus stadio, vel initio vel incremento, vel statu, vel decremento, indagaturi sumus. Antequam autem ulterius progrediamur, liceat quaedam no-

ſologica et aethiologica, quae breviter Ophtalmiae diviſiones, cauſſasque multiplices, eam producentes exponant, praemittere.

§. 6.

Ophtalmia (ab ὀφθαλμὸς, latine oculus) ſtricto verbi ſenſu oculi morbum ſignificat. Plerique tamen, immo et veteres, tunicarum oculi inflammationes eo nomine inſignivere. Neoterici quidam hanc ophtalmitin vocant; magis autem congruum videtur, cujuscunque oculi partis inflammationem Ophtalmiam nominare. Ophtalmia, inflammationum oculi nomen eſt genericum, quod multifarias ſpecies comprehendit, quarum numerus, praeeunte Cl. *Plenkio* *) quem ſequimur, ab inflammationis duratione, gradu, ſede, compoſitione, et cauſſa petitur.

Supra jam notavimus §. 4. intercedere discrimen inter tunicarum atque glandularum inflammationes, indeque pendet ratio, cur cum Cel. *Cullenio* Ophtalmiam in membranaceam ac glandulosam dividamus. Monuimus jam quidem, glandulosam, a nonnullis ſpuriam ſeu notham dictam, ad noſtrum propoſitum pertinere: attamen ut pateat, quo-

*) Doctrina de morb. oculi p. 79.

quomodo ſpecies una ab altera diſtingui poſſit, alienum non erit, tabulam ſubjicere, quae utriuſque Ophtalmiae ſpecies exhibeat. Praevidemus quidem fore pleroſque, qui dicant, nos plures alias ophtalmiae ſpecies omiſiſſe, quas Cel. Sauvageſius Sagar, Cullen, Vogelius et alii Noſologi habent; verum, quum omiſſae, ſi rem paulo exactius perpendimus, facile ad ſpecies quaſdam in Tabula exhibitas referantur, conſulto atque brevitatis cauſa, eas non commemoravimus.

TABULA

I. Ophtalmiae membranaceae Species ſiſtens:

A) *Durationis* reſpectu ſunt

1. *Ophtalmia acuta*,

quae eſt Ophtalmia vulgaris, cum febre, per paucos dies perdurans

2. *Ophtalmia chronica*

Ophtalmia diu jam durans cum febre; oculus valde rubet ac dolet

3. *Ophtalmia Periodica*

quae certis periodis, ſicuti febris intermittens, et aliquando cum, aliquando ſine oculi rubore; mox quoque cum, mox ſine febre exſtat.

B) *Ra-*

B) *Ratione gradus*

1. *Ophtalmia levis*, ut Taraxis, leviſſima tunicarum externarum oculi Inflammatio, cum rubore albicante, dolore modico ac febre miti.

2. *Ophtalmia gravis*, ut Chemoſis, vehementiſſima conjunctivae inflammatio cum profundo rubore, tumore, et atrociſſimo dolore, febre et vigiliis conjuncta.

3. *Ophtalmia graviſſima*, ut Phlegmone, internarum oculi tunicarum inflammatio, quam earum rubor comitatur. Pupilla eſt conſtricta, et aeger ſumma cum moleſtia lucem admittit. Dolor atque pulſatio in fundo oculi et capite valde urgent; adſunt ut plurimum febris, vigiliae, aliquando delirium.

C) *ratione ſedis*

1. *Externa*, ut taraxis. (videatur Ophtalmia levis et gravis)

2. *Interna*, ut Phlegmone (videatur ophtalmia graviſſima)

D) *ratione Compoſitionis*

1. *compoſita*, cum alio morbo oculari conjuncta. E. g. Si ophtalmiae membranaceae glanduloſa jungitur.

2. *Symptomatica*, ab alio cujusdam corporis partis morbo proveniens, e. g. in Phrenitide.
3. *Serosa aut humida*, quae vehementem seri effluxum producit;
4. *Sicca*, quae sine omni effluxu adest.

E) *ratione causae*

Quum omnes causae, ad Ophtalmiam producendam aptae, paragrapho sequente enumerentur, non opus esse arbitramur, species Ophtalmiae singulatim hic exhibere.

II. Ophtalmiae glandulosae Species,

A) *Durationis respectu*

1. *Ophtalmia acuta.* Plerumque ophtalmiae glandulosae, chronicae esse solent, et diu durantes; interdum vero et acutae evadunt, inprimis si materia, eam gignens, magna copia affluit, magnaque acrimonia adest, vel si subjectum aegrotans irritabili ingenio pollet.
2. *Ophtalmia chronica* est illa, quae diu durat, absque febre et cum perpetuo seri puriformis effluxu nunc cum, nunc sine dolore.

3 Oph.

3. *Ophtalmia periodica*, certis temporibus aggrediens et mox acuta, mox chronica.

B) *ratione gradus*

1. *Ophtalmia* levis, ut Epiphora, eſt humoris ſeroſi glutinoſi profluvium ex palpebrarum marginibus. (Epiphora a conjunctivae et corneae poris proveniens, eo ab illa diſtinguitur, quod humor profluens minus ſpiſſus, et magis aquoſus ſit)

2. *Ophtalmia grauis*, ut Lippitudo, ab Epiphora tantum gradu vehementiori atque humore profluente, qui puriformis e marginibus exſudat, diſtincta. Dolor, qui potius pruritus nominandus, in utroque hoc vitio adeſt; oculi rubor, in Epiphora minor: major in Lippitudine; ac febris raro ſimul urgens eſt.

3. *Ophtalmia graviſſima*, ut Pſorophtalmia, eſt exulceratio marginum palpebrarum cruſtis ſiccis vel humidis, aliquando papulis parvis admodum prurientibus obſitorum; palpebrae intumeſcentes rubentes, eam fere ſemper concomitantur.

C) *ratione ſedis*

1. *Externa.* Huc referuntur Carbunculus, Hordeolum, Chalazion, Verrucae, Trachoma, Pſorophtalmia, Anchylops etc.
2. *Interna*, ut Inflammatio glandulae lacrymalis;
3. *Angularis*, ut Encanthis, quae excreſcentia vel intumeſcentia Carunculae lacrymalis eſt.

D) *ratione compoſitionis*

1. *compoſita* cum alio morbo oculari juncta.
2. *ſymptomatica* ab alio morbo proveniens.
3. *Purulenta*, quae vehemens humoris puriformis profluvium ſecum habet, propter quod et humida dicitur.
4. *Sicca* ſine omni effluxu, in qua nedum tumor palpebrarum oſtenditur; rubedo et pruritus in palpebrarum tarſis adeſt.

E) *ratione cauſae*, ut ſupra.

§. 7.

Noſologia breviter exhibita, ad Ophtalmiae glanduloſae aetiologiam progrediamur. Nemo ignorat, nullum exiſtere effectum ſine ſufficiente cauſa; morbum autem nihil aliud, quam cauſarum effectum eſſe, quis negabit? Diſquiſitiones

nes ergo causarum ejus, maxime in re medica prosunt; in ea enim satis experimur, quam arcte sensus ac ingenium nostrum inclusi sint. Quam veritatem ut compertam plane habeamus, spectemus vicissitudines, corpus humanum tam secundum, quam contra aut praeter Leges Naturae, infestantes, quarum causae pleraeque spississimis adhuc latent tenebris; in quibus auferendis non sine laude, quantumvis non optato cum successu, haud pauci Medicorum operam dederunt. Jam veteres, immo et senex Cous, ita sentiunt: hic enim „Si „quis causas morbi, inquit, quo corpus afficitur, „probe cognoverit, valde potens est, ea afferre, „quae corpori conveniunt, nimirum contraria „morborum Natura perspecta: quam sententiam magnus *Hippocrates* alio loco **) magis illustravit, inquiens: „curationem instituere oportet, ut cau„sae morbi nos opponamus, sic enim solvitur uti„que id, quod morbum in corpore fecit.“ Effatum quoque *Celsi* huc pertinet, quo dicit: „Cau„sae investigatio, ejusque primordia et occasio in „affectionis et remediorum cognitionem deducunt

 am-

*) Lib. de flatibus §. 2.
**) Lib. de Nat. human. §. 25.

„amplissimam.“ Immortalis quoque *Fr. Hoffmannus* *) „plenam exquisitam causarum morbi cognitionem Medico scitu esse necessariam asseruit.

Facile igitur patet, quanti sit momenti, ut medicus morborum causis explorandis diligentissime incumbat; earum enim ignarus ubi prodesse cogitaverit, haud raro felici successu destituetur, imo et nocebit. Exhibeamus itaque magnam et copiosam glandulosae ophtalmiae causarum seriem, quarum forsan et hic quaedam omissae sunt; quas vero, nisi fallimur, ad exhibitas reducere, facile erit negotium. Dividuntur autem ophtalmiae glandulosae causae in:

I) Causam proximam,

II) Causas remotas, haeque iterum in

A) Causas praedisponentes et

B) Causas occasionales.

Antequam vero ad harum causarum specialem enumerationem progrediamur; notatu dignum nobis videtur: plerasque causas, quae Ophtalmiam glandulosam producunt, stimuli instar agere, qui

*) Med. ratio. System. Tom. 2. cap. IV.

qui in glandularum vasculis justo majorem oscillationem; haec autem diutius durans, eorum laxitatem vel debilitatem efficit; utrâque vero excedente, copiosior humoris mox viscidioris, mox magis puriformis secretio, ideoque auctus ejusdem humoris effluxus fit.

I) Causa proxima

ratione Solidorum, quae glandulas constituunt, est irritatio ac oscillatio vasorum justo major *).

II) Causae remotae sunt:

1) Omnes cujusvis indolis acrimoniae, in humorum massa ab alio quodam morbo aut quocunque alio modo intra eandem genitae, systema glandulosum imprimis amantes, quaeque non raro ad oculorum glandulas deponuntur. Porro 2) supressa et retenta tam periodica quam perpetua profluvia naturalia aut artificialia, omnes e. g. excretiones naturales impeditae; 3) vitia proximorum locorum. Quantitas humorum alienata, aetas, temperamentum, sexus, haeredi-

*) *Bell.* Essay on the chirurgicale Treatement of inflammation and its Consequences.

reditas denique his caufis adnumerentur: quam ob rem proprie caufae praedifponentes audiunt et a dictis remotis feparantur, uti et occafionales, de quibus infra.

1.) *Acrimoniarum Refpectu*

a) *Acrimonia gonorrhoica* *) a male tractata gonorrhoea. Si gonorrhoea virulenta in ftadio primo fubito fupprimitur, acuta oculi inflammatio oritur et aliquando, inprimis fi aeger digitis, materia gonorrhoica pollutis, palpebras fricat. Si, poftquam multum virulentiae amifit gonorrhoea, fupreffa fuerit a diaeta perverfa etc., chronica fit, quae folummodo fedem in glandulis habere videtur. Secernunt tunc glandulae copiofam materiem ex flavo viridifcentem; et fi ad faccum lacrymalem deponitur, materia gonorrhoica purulenta ex eo exprimitur.

b) *Acrimonia fyphilitica f. venerea* **) vel a lue venerea aperta, vel a larvata oritur.

Haec

*) *Schwediauer* Practical, obferv. on the more obftinateand inveter. veneral complaints cap. 2.

**) *Schwediauer* l. c. cap. XVII.

Haec Ophtalmia gradatim incedit et fere ſemper chronica fit. Miaſma venereum vel ad glandulas Meibomianas vel ad illas ſacci lacrymalis et ductus naſalis, vel in utramque deponitur. In conjunctiva exiguus eſt rubor; palpebrae vero tumidae, oculi limoſi et cilia cruſtâ agglutinantur. Inter varias, quas ipſi alias vidimus ophtalmias venereas in clinico Halenſi Regio, etiam plures obſervatae fuerunt, quarum ſedes plerumque in glandulis erat.

c) *Acrimonia ſcrophuloſa* *). Et hujus ophtalmiae ſedes in glandulis Meibomianis; frequentius vero in glandulis ſacci lacrymalis eſt. Oritur a materia ſcrophuloſa, infantibus familiariſſima **), quae in corpore vel aperte vel occulte latet. Saepe alia huius infectionis ſymptomata peculiaria cum ophtalmia ſimul apparent, v. g. tumores glandularum ſubmaxillarium

*) *Bells* Syſtem of Surgery tom. 3.
Vogel de cognoſc. et curand. morb. §. 715.
**) Medical Eſſays and obſervations by *Beſſot* p. 119.

rium et parotidum; intumescentia labiorum, oris rubescentia aut pallor faciei, cutis tenera, abdomen tumidum, etc. Copiosiori sebi mucidi secretione, palpebris tumentibus atque aliis ejusmodi vitiis sese prodit.

d) *Acrimonia variolosa* *). Duplicem novimus ophtalmiam, quae variolis ortum debet: alteram scilicet a germine varioloso, quae in corneae ambitu vulgo oritur: estque membranacea et ad nos non pertinet; alteram vero frequentiorem, quae post superatum morbum varioloſum, ab acrimonia in corpore relicta et ad oculum deposita, enascitur. Haec glandulosa est, et praeterea, quod glandulas Meibomianas vexet, praecipue glandulis sacci lacrymalis inhaerere videtur. Infantes huic ophtalmiae, variolis superatis, magis expositi sunt, quam adulti.

e) *Acri-*

*) *Burser de Kanilf.* Inst. med. pract. T. 2. p. 209. *Frid. Hoffm.* l. c. Tom. IV. Sect. I. cap. VII.

e) *Acrimonia morbillosa ac scarlatinosa* *). Affectio oculorum morbosa frequentissime his morbis ingredientibus se prodit; praecipue sub initium morbillorum jam deprehenditur, ut facile existimetur, quanta sit oculorum, inprimis glandularum eorum proclivitas, ad ophtalmiam post morbum superatum a materia morbosa relicta efficiendam.

f) *Acrimonia exanthematica* **). Ab acrimonia herpetica, scabiosa, favorum, achorum, tineae capitis, cutisque exanthematum retropulsa et ad oculi glandulas deposita, variae ophtalmiae malignae, siccae, cum copioso sebi effluxu ac ulceribus junctae, nascuntur; atque apud autores nomine Psorophtalmiae, Xerophtalmiae veniunt.

g) *Acrimonia Arthritica* ***). Arthritis vaga quemadmodum alias corporis partes, ita et

*) *Burser de Kanilf.* Institution med. pract. tom. 2. p. 66. idem tom. 2. p. 104.

**) *Vogel* de cognosc. et curand. morb. §. 698.

***) *Lieutaud* Synops. prax. med. tom. I. de Arthrit.

et glandulas oculi non raro corripit, atque ophtalmiam plerumque ſiccam, valde dolorificam producit. Fere omnia jam ſaepius repetita ſymptomata progignit. Hoc autem demum obſervandum eſt, hanc ophtalmiam, ingruente vere et autumno exacerbari, aeſtate vero interdum omnino evaneſcere, eamque propterea vere eſſe Periodicam.

h) *Acrimonia rheumatica et catharralis.* Saepe obſervatur, a muſculorum faciei rheumatiſmo metaſtaſi relicto, a coryza, a gravedine ophtalmias et chronicas et acutas oriri.

i) *Acrimonia cancroſa.* Si pars quaedam corporis humani cancro affecta eſt, facile hoc miaſma cancroſum in noſtram humorum maſſam recipitur, oculorumque glandulas, inprimis Meibomianas infeſtat, atque ibidem depoſita, ob ſuam acritudinem, eas valde irritat et vehementiſſima inflammatione affligit; quod praecipue iis accidere ſolet, quorum mammae cancro laborant. Atque haec eſt cauſa, cur partes a cancro affectae abſque omni emolumento tunc ampu-

amputentur, ſi jam oculorum tarſi rubent, ſigno, miasma cancroſum jam per humores graſſari.

k) Praeter enumeratas acrimonias, et aliae ſunt, quae ad glandulas deponi, et inflammationem provocare poſſunt e. g. Acrimonia ſcorbutica, rachitica, acre verminoſum *) in primis viis haerens, quod aliquando abſorbetur et ad glandulas oculi vehitur. Porro extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, materiam bilioſam, atrabilarem, pituitoſam et quamcunque aliam, vi febris, ſanguinis tractu ad glanduloſas oculi partes afferri, ibidemque cum acri ſua indole, tum vaſa propter ſpiſſitudinem ſuam obſtruendo, inflammationem excitare poſſe. Idem valet de morbis nervoſis, qui ſane non eodem, tamen alio quocunque modo agunt et inflammationem efficiunt. In vetulis ab imminutione urinae, ophtalmiam oriri, ſaepe obſervatur.

2) Cauſ-

*) *Vogel* l. c. p. 737.

2) Cauſſae remotae ratione profluviorum excretionumque tam ſolitarum quam inſolitarum, ſuppreſſarum vel retentarum.

a) Haemorrhagia narium aliarumque partium, etſi ab oculis maxime diſſitarum, juſto citius ſuppreſſa,

b) Suppreſſio menſium atque earum retentio.

c) Lochia puerperarum maturius ſuppreſſa aut juſto parcius profluentia.

d) Haemorrhoides ſanguinolentae oppreſſae, vel coecae;

e) Coryzae ſuppreſſio ac gravedinis.

f) Othorrhoea retropulſa.

g) Salivatio perverſo regimine impedita.

h) Perſpirationis ac ſudoris a refrigerio interruptio.

i) Demum alia per anum praeternaturalia profluvia, inconſulto adſtricta, referri huc poſſunt; ut diarrhoea, dyſenteria, fluxus hepaticus etc. de quibus multa exſtant in autoribus exempla.

3) *Cauſſae remotae ratione proximitatis loci*, ut

a) Vitia cranii,

b) mor-

b) morbi narium, ut Polypus narium,

c) morbi aurium,

d) odontalgia, inprimis ſi narcoticis dolor urgens imprudenter opprimitur,

e) denique omnes partium vicinarum inflammationes verae ac nothae, ut faciei atque capitis, colli ac pectoris. Huc pertinet eryſipelas, gloſſitis, angina, pleuritis, peripneumonia, tuſſis, aſthma: quae omnia congeſtionis verſus caput ideoque et verſus oculos cauſſae ad ophtalmiam producendam aptae ſunt.

A. *Cauſſae praedisponentes proprie dictae.*

a) Corpus plethoricum,

b) debilitas vel laxitas, aut univerſalis aut partialis,

c) Aetas infantilis atque juvenilis,

d) temperamentum ſanguineum et cholericum.

e) Diſpoſitio haereditaria,

f) Graviditas. Feminam noſcimus, quae quater jam perperit atque ſemper, quamprimum gravida fuit, poſt paucos conceptionis dies, pruritum mitem oculorum ſenſit, qui gradatim tantum cepit incrementum, ut primo aut ſecundo gravidi-

viditatis menſe elapſo, fere omnia inflammationis oculi glandulosae ſymptomata apparerent, quae autem poſt partum etiam gradatim ita decrevere, ut ſecundo poſt eum menſe ex toto evaneſcerent.

B.) *Cauſſae occaſionales.*

a) Omnes potentiae nocivae huc referri merentur, ut oculi ictus, preſſus, attritus digitorum ope, fumus, pulvis, ſabulum, parva inſecta et acria in oculos illapſa.

b) Regimen perverſum, ut veſtimenta arctiora, fibulatoria, thoraces *), abuſus ſpirituoſorum, ſubitae refrigerationes, vigiliae protractae, oculorum abuſus in ſcribendo aut legendo, inprimis lucubrationes nocturnae, cantus, tuſſis diuturna, ſternutatoria; acria, inprimis nicotianae pulvis, copioſius aſſumtus etc.

c) Conſtitutio epidemica, ſolis aeſtus *), calor atque rigor hiberni gelu, ventus, viciſſitudines ſubitaneae tempeſtatum etc.

d) Per-

*) *Bonnaud* Abhandl. von den ſchädlichen Würkungen der Schnürbrüſte.

*) *Pringle* Obſervations on the diſeaſes of the army etc. pag. 139.

d) Perverſa laeſionum oculi aut partium ei vicinarum curatio.

An cauſſis jam enumeratis, adnumeranda quoque ſit cauſſa formalis? problema eſto!

§. 8.

Ad ſymptomatum ophtalmiae glanduloſae exhibitionem (aetiologia ejus breviter expoſita) procedendum nobis eſſe, ſcimus quidem; quum vero inflammationis externae peculiaria ſymptomata praeter ea, quae ſupra commemoravimus, vix quaedam alia exſtent; glanduloſae vero ophtalmiae, eſſentialia et conſtanter concomitantia, ut infra patebit, cujusvis glandularum ſpeciei propria ſint: magis congruum fore cenſuimus, ſi ambages et repetitiones evitaremus, ſymptomata ibi enumerando, ubi commodior ſe nobis locus obtulerit. Supereſt itaque, ut ad ea progrediamur, quibus veram inflammationis variae in glandulis oculi ocurrentis notionem, medelamque ei faciendam acquiramus.

Ad hanc autem tractationem requiritur, ut primum ea praemittamus, quae (ut filum tractationis de inflammatione, a quo digreſſi ſumus, recuperemus) de vario inflammationis exitu, de

discrimine, quod exitum inflammationis membranaceae atque glandulosae intercedit, tractant, utpote res, quae non minoris momenti in diversorum horum morborum curatione sunt.

§. 9.

Inflammationis autem exitus universim ab autoribus multiplici modo distinguitur: fuerunt enim, qui dicerent eam vel resolutione, vel suppuratione, vel gangraena aut sphacelo, vel denique scirrho terminari; quod quoque vulgo assumitur. Sunt autem, qui contendunt, scirrhum nunquam inflammationis sequelam esse *); Alii **) desquamationem ut exitum describunt; Cel. *Cullen* ***) praeter resolutionem, suppurationem et gangraenam, tres alios necdum ab aliis commemoratos, existere docet; et primum quidem effusionem totius aut partis tantum massae sanguineae in telam cel-

*) *Richter* Anfangsgründe der Wundartzn.
Cl. *Cullen* First lines of med. pract. Tom. I. pag. 157.

**) *Richter* progr. de duplici inflammat. exitu, desquam. et rigesc. Goetting. 1748.
Gallenhoff. Differt. syst. Inflammat. caus. exitus Heidelb.

***) l. c.

cellulosam parti affectae circumjacentem, per vasorum diaeresin aut anastomosin productam; secundo accumulationem humoris crassi sub Epidermide, qui propter spissitudinem, poros hujus cuticulae penetrare nequit, ideoque eam a cute separat, ut pustulam formet, quae hunc humorem accumulatum contineat: hac autem accumulatione praegressa inflammationem auferri dicit; tertio denique exsudationem materiae mucosae in superficie partis inflammatae.

Cl. E. *Plattnerus* *) gangraenam nunquam immediate ex inflammatione oriri contendit.

Cel. *Held* **) sex recensuit inflammationis exitus, resolutionem nempe sanguinis inflammati, quam excretionem criticam appellat, metastasin, suppurationem, gangraenam, sphacelum et scirrhum. Secundum Cl. *Macbride* ***), „quinque modi sunt, quibus nata inflammatio terminari posset; primus isque ceteris optabilior, modus

 „est

*) Supplementa in *J. Z. Plattneri* Institut. chirurg.

**) Dissert. de tempestivo cort. Peruv. usu in febrib. inflam. Goetting.

***) l. c. Tom. I. pag. 166.

„eſt reſolutio ſive discuſſio, alter exſudatio, tertius „ſuppuratio ſive abſceſſus, quartus gangraena, „quintus ſcirrhus ſive durities et tumor, dolorem non movens. Nos quidem Cl. *Macbride* aſſentimus; hoc tamen cum discrimine, quod enumerati exitus non unicuique inflammationi conveniant; et quum diſtinctio omnino non vaga inter inflammationem membranaceam et inter glanduloſam locum habeat: facile intellectu fore cenſemus, cur contendamus, quosdam tantum commemoratorum exitus huic, quosdam vero illi inflammationi ſuccedere. Omnes fere autores (idem docente experientia) conſentiunt, verum ſcirrhum tantum glandulis inflammatis proprium eſſe. Evictum quoque eſt et extra omne dubium experientia poſuit, glandulas inflammatas fere nunquam in gangraenam tranſire; quid? quod ex phaenomenis morboſis, in glandula inflammata obſervatis, omnino dubium emergat: an ea vere in ſuppurationem abire poſſit? Primo enim effluvium materiae puriformis e glandula inflammata juſto ocius apparet: verum enim pus in parte inflammata elaborandum longiori ad ſui elaborationem ſpatio eget, quam ille, qui ex glandula inflammata ſeparatur humor; deinde ſigna praecurſoria ſuppurationis, ut horri-

pila-

pilatio, febris remiſſio ſine judicatione, mutatio doloris urgentis atque acuti partis affectae in obtuſum etc. non ſolum ex toto abſunt, ſed contraria evadunt. Si denique perpendamus, ſuppurationem eo citius effici, quo ſenſiliores ac irritabiliores partes affectae ſunt; glandulas autem, iis qualitatibus minori gradu: quam alias partes inflammationi obnoxias, gaudere: nihil certius, niſi fallimur, reſtat, quam ut de vera ſuppuratione glandularum inflammatarum dubitemus. Videamus, annon hoc phaenomenon alio modo explicari, alioque nomine aptiori, quam eo ſuppurationis, appellari poſſit? Experientia docet, glandulas ſtimulo quodam affectas non ſolum humorem, quem in ſtatu ſano ſecernunt, copioſius emittere, ſed eum mirabili et incognito adhuc modo alienatum exſudare; haec autem humoris alienatio nullum agnoſcit terminum, uti ſuppuratio vera: mox enim hoc ſtimulo admoto, mox paucis a ſtimulo diebus elapſis fieri ſolet: idem valet, ſi glandulae debilitatae ſunt. Haec vero maſſa alienata, etſi puri ſimilis, odore, conſiſtentia ac mixtione valde ab illo differt *). Idem fit, ſi lacunae et omnia vaſa vulgo ad mucum

*) Vide *Pott* Obſervations on the fiſtula lacrymalis.

cum excernendum destinata, a stimulo quodam afficiuntur aut si debilitantur; tunc enim mucus justo crassior ac colore mutatus ex iis exsudat: quod ophtalmia serosa, fistula lacrymalis, gonorrhoea blenorrhoea, coryza comprobant. Exsudatio ejusmodi materiae continuo durat, donec stimulus auferatur vel robur his partibus debilitatis addatur. Hinc raro verum pus in glandulis inflammatis exspectandum, hincque plures suppurationis nomine in glandulis inflammatis male utuntur: atque inde facile perspicitur, quam incongrue suppuratio ad earum exitus numeretur. Si tamen verbo quodam opus est, ut res insigniatur, *exsudatio*, me quidem Iudice optime vocabitur.

Annon ergo omnia, quae a variis autoribus, de suppuratione, absque praegressa inflammatione scripta sunt, e mox dictis derivari possunt?

Cl. *Murray* *) *Boehmer* **) et alii, suppurationes dari, contendunt, quin ullum inflammationis signum praecesserit, multaque exempla a viris

*) Dissert. de puris absque praegressa inflammatione origine. Goetting. 1766.

**) De genesi materiae purulentae sine praevia inflammatione. Halae.

viris fide dignis edita ad hoc comprobandum addunt.

Cl. *Plattner* *), *Grafhuys* **), *Hunter* ***), et *Richter* ****) contra, verum pus, absque omni praevia inflammatione oriri non posse, demonstrare studuerunt; Cel. *Nicolai* jam monet, „Meines „Erachtens, inquiens, kommt es bei allen Beo„bachtungen, durch welche man darthun will, dass „Eiter ohne alle vorhergegangene Entzündung er„zeugt worden, darauf an, ob das, was man für „Eiter gehalten hat, auch wirklich Eiter gewesen „sey. Ich habe oben §. 84., pergit, verschiedene „berühmte Aerzte angeführt, und unter denselben „sogar den verdienstvollen Hn. Hofrath *Richter*, „welche alle einstimmig behaupten: Eiter entstehe „nie ohne vorhergegangene örtliche Entzündung.

*) Opuscula Tom. I. Diss. VII. de noxis ex adhibita suppurat.

**(Diss de generatione puris.

***) Medic. Observat. and Inquiries Vol. II. p. 55.

****) l. c. §. 77.

*****) D. E. Ant. *Nicolai* theoret. u. prakt. Abhandl. über die Entzündung und Eiterung u. s. w. 1. Band §. 89. Jena.

„In denen Fällen, welche das Gegentheil zu beweisen scheinen, hat man wohl zu untersuchen, ob „das, was man für Eiter hält, auch wirklich wahres Eiter ist, und wenn es das ist, ob es nicht „an einem andern Ort nach vorgängiger Entzündung erzeugt worden, und durch verborgene Wege dahin gebracht worden ist, oder ob es nicht „in die Wege der Circulation eingesaugt, und von „da in den Theil abgesezt worden, wo es jetzo „erscheint; oder endlich, ob die vorhergehende „Entzündung wegen Unempfindlichkeit des Theils, „oder aus irgend einer andern Ursache vielleicht „nicht bemerkt worden ist?"

Inter omnes hujus cel. viri augurationes ultima tantum nobis vero simillima videtur. Nulla enim corporis humani pars inflammata minus dolet, quam glandula: ea enim tam exiguo sensilitatis gradu gaudet, ut stimulus eam irritans non sentiatur, nisi paulo vehementius agat; stimulus autem, etsi exiguus, tamen sufficit, ut glandula ab eo tentata, phaenomena supra exposita, inprimis vero exsudationem humoris puriformis promoveat. Hoc perpenso clare liquet, veram suppurationem, etsi inflammatio praegressa sit, non semper oriri, omnesque apparitiones, quibus di-

cti cl. viri sibi persuaserunt, verum pus absque praegressa inflammatione se vidisse, ex mox dicta scaturigine provenire; et quum, ut jam diximus, debilitas, aut nimia laxitas vasorum glandulas constituentium easdem mutationes ac si stimulo affectae essent, producere queant: contendere non dubitamus, effusiones materiae purulentae in corporibus, febre maligna emortuis observatas, e debilitate minimarum glandularum, quibus fere quaevis corporis pars prædita est, pendere!

His praemissis facile illucescit, exitum inflammationis glandulosae ab illo membranaceae et aliarum longe differre, ideoque dicimus: eam resolutione, exsudatione, et scirrho; hanc autem resolutione, suppuratione atque gangraena et sphacelo, terminari. Nunc varii hujus glandulosae inflammationis exitus descriptio brevis sequatur, et primo quidem resolutionis.

Resolutionem autem fieri dicimus, quum motus oscillans imminuitur et vasa robur recuperant, cujus ope fluida sibi inhaerentia vel repellunt, vel insensibili modo excernunt; a vasorum imbibentium ostiis resorbentur tunc, et ad massam humorum universam reducuntur, ut per alia colatoria e cor-

pore eliminentur. Hic exitus optatissimus est: pars enim illaesa ad pristinum statum reducitur et nihil morbosi aut vitiosi relinquit. Sunt et alii modi, quibus resolutio fieri solet, quos varii autores commemorant, quorum ergo scripta consulantur *). Secundo: Exsudatio fit, si intra commodum tempus, vel neglectu, vel ob materiae morbosae majorem acritudinem, resolutio obtineri nequit; tunc humor inflammatione corruptus, in vasa vi insuetata irruere pergit, haec distenduntur, eorum ostia propter expansionem magis magisque dilatantur sic, ut copiosior fluidorum copia elabatur, quae vel in partes affectae adjacentes e. g. in telam cellulosam deponitur, vel ex partis inflammatae superficie, mutato colore et natura, ita ut neque sanguinis, neque lymphae, vel muci aut cujusvis alius humoris ante inflammationem in his partibus contenti, neque tandem veri puris conditionem habeat, eliminatur; hac vero exsudatione a nimia distractione ac tensione liberantur vasa, ideo-

*) *Cullen.* l. c. p. 156.

Cl. Larsson Dissert. de solutione inflammationis per discussionem facta non semper optima. Halae 1762.

Cl. Nicolai l. c. §. 41.

ſideoque omnia ſymptomata paullatim mitigantur, aliquando immo et penitus evaneſcunt; deferveſcit calor, palleſcit rubor, dolor ſedatur, et tumor, licet raro, ſubſidet, niſi acrimonia, quam tanquam comitem harum inflammationum pene perpetuum ſupra indicavimus, ſtimulum ſuſtineat. Si materia ſic exſudans, atque inflammationem ſolvens liberum habet exitum, omnia proſpere ſuccedunt et aegrotus, ope curationis rite inſtitutae, celeriter ſanitatem recuperat. Sunt, qui dicunt, exſudationem absque omni auxilio et remedio ceſſare, quin ulla in corpore moleſtia relinquatur: his autem aſſentire non poſſumus.

Scirrhus denique ultimus glanduloſae inflammationis eſt exitus, qui tunc evenit, quum inflammatio nec reſolutione nec exſudatione terminatur. Eſt tumor aliquando duriusculus, aliquando perdurus, mox rubicundus, mox decolor, indolens, frigidus, a vaſorum debilitate juſto diutius perdurante ortum ducens: vaſa enim debilitata, inepta ad materiae impactae propulſionem redduntur, ideoque materia iis immorans inſpiſſataque, ea obſtruit, diſtendit et ſcirrhum efficit. Haec inflammationis in ſcirrhum converſio, etſi initio vitae pericu-

riculum inferre non videatur, tamen alias, lentasque post se relinquit molestias, immo, nisi exstirpari possit scirrhus, mortem inducit.

§. 10.

Ex enarrato jam inflammationis glandulosae ortu et exitu liquet: in morbi decursu ad varia ejus stadia a se invicem admodum diversa, praesertim attendendum esse: Si enim paulo attentius symptomata, quae initio inflammationis sese exserunt, perpendamus, verosimile fit, quod motus oscillans majorem inflammationis partem initio sibi vindicet, et quod debilitatem longe superet, quum pleraque symptomata, quae statim ab inflammationis ortu apparent, ut dolor, calor, rubor, pulsatio magis a motu oscillante aucto, quam a laxitate sint, hinc non incongruum fore, putavimus, primum hoc stadium, *stadii oscillationis* nomine insignire, in quo tensio valde dolorifica, calor urgens etc. et in glandulis oculi inflammatis, effluxus humoris decoloris, si materia stimulans acris admodum, hac vel illa acrimonia inquinata est, observatur. Si hoc stadium paulo vehementius, quam par est, urgeat, motus febriles percipiuntur.

Per-

Perpetua deinde lex Oeconomiae animalis esse videtur, ut pars quaedam justo diutius vehementiusque a stimulo quodam irritata atque tensa, tandem vires suas reagentes amittat et relaxetur. Idem tunc glandulis inflammatis accidit, dum, qui primo in stadio dominabatur stimulus, naturae aut artis auxilio non aufertur, aut saltem mitigatur: tensio tunc dolorifica mitescit, calor imminuitur, rubor pallescit, cessat pulsatio: tumoris vero incrementum in glandula per aliquot dies inflammata apparet. Haec omnia a partis relaxatione sunt, et glandulis oculi inflammatis contingunt; tunc loco materiae decoloris, quae in primo stadio effluxerat, alia coloratior, spissior, copiosiorque prodit. Ex hisce omnibus concludere licet: laxitatem partis, hac periodo, motu oscillante majorem esse. Atque id ipsum a nobis *stadium* secundum inflammationis glandulosae et quidem *relaxationis* dicitur.

Porro experientia docet, si huic glandulosae inflammationis stadio secundo aut relaxationi, aptâ medela non occurritur, aut si natura, quod raro fieri solet, non resolvitur, partes tandem ita debilitari atque relaxari, ut inertes, et ad excretionem mate-

materiae morbificae, in iis contentae, ineptae reddantur. Materia autem morbifica in iis retenta, mora, ſtagnationeque incraſſeſcit, eas obſtruit, et ſi materia nihil aut parum acritudinis in ſe continet, eas indurat, et indurationes pertinaces producit; contra vero, ſi ab una vel alia expoſitarum acrimoniarum inquinata ſit, malignißimas fere ulcerationes progignit. Duplici itaque nomine hoc glanduloſae inflammationis tertium ſtadium inſigniri poſſe non dubitamus: videlicet et *indurationis* et *exulcerationis* pro hoc aut illo huius ſtadii exitu.

§. 11.

Si omnia, quae de exitu atque ſtadiis inflammationis glanduloſae adnotavimus, rite perpendantur, non poteſt non fieri, quin unusquiſque artis peritus indicationes, quae in inflammationis glanduloſae curatione proſequendae ſunt, agnoſcat: quippe quae facile e dictis ſequuntur. Indicationes nempe in inflammatione ſemper ſecundum ejus habitum, durationem atque gradum inſtituendae ſunt; ſemper ad ſtadium, quod percurrit, et ad exitum, qui ei favet, reſpiciendum eſt. Si medicus ad omnia ea attendat, ex ſymptomatibus

cuique

cuique ſtadio propriis judicare facile poterit, an inflammatio ad reſolutionem aut ad alios commemoratos exitus vergat.

Indicatio generalis, ad quam in quocunque morbo attendendum eſt, in eo conſiſtit, ut cauſas, morbi ac Symptomatum rationem continentes, quantum fieri poteſt, tollamus; accidit vero ſaepius, ut duae Indicationes urgeant, quibus ſimul occurri nequit; prudens tunc medicus certe ei occurret, quae tanquam primaria apparet. Quum vero ſymptomata in diverſis ſtadiis inflammationis diverſa exiſtant, concludere datur, cauſas etiam varias eſſe, licet perſuaſum nobis ſit, ex vna eademque cauſa varia ſymptomata varioſque morbos oriri; attamen in Inflammationis ſtadiis hoc locum non habet, ſiquidem ſymptomatum in iis mutationes, facile ex mutatis cauſis, ut ſupra vidimus, explicari poſſint. In primo itaque ſtadio glanduloſae Inflammationis attentio medici eo tendat, ut, ſi fieri poſſit, et aliae pertinaciores atque pejores ſequelae non timendae ſint, reſolutionem efficiat; haec autem non efficietur, niſi cauſae in hoc ſtadio praevalentes auferantur.

Prae-

Praecedente paragrapho dictum fuit, ſtimulum atque motum oſcillantem ab eo pendentem una cum debilitate partis juncta proximas inflammationis glanduloſae cauſas eſſe; in iis itaque auferendis poſita eſt tota agendi methodus, qua reſolutio obtineatur. Remotio enim ſtimuli certe primum, optimum atque feliciſſimum ad hunc ſcopum conſequendum eſſet medium, ſi modo ſemper illi detegendo, atque detecto ante ſecundi ſtadii ingreſſum (qui in Inflammatione glanduloſa praecipue quam citiſſime imminet) removendo pares eſſemus: quod autem raro accidit, inprimis ſi ſtimulus ab internis cauſis pendet. Quae cum ita ſint, nihil aliud reſtat, quam ut ſtimuli effectum, oſcillantem nempe motum auctum mitigemus, quo et dolor, tamquam cauſa inflammationis cooperans ſimul quieſcat. Quod autem ut aſſequamur, in inflammatione oculi glanduloſa, ea remedia, quae Emollientia, Derivantia atque Sedantia audiunt, externe applicata nobis ad hunc ſcopum aptiſſima atque convenientiſſima eſſe videntur.

Qui enim adſtringentia, roborantia, repellentia, irritantia ac diſcutientia hoc ſtadio morbi applicari volunt, non cogitant, omnia haec enumerata

merata remedia non nisi irritando agere posse; pars autem irritata dicitur, si oscillatio ac sensilitas in ea augetur; aucta sensilitate vero, major humoris copia quam vasa partis vulgo vehunt, allicitur; humor in vasa justo copiosior affluens, denuo ea irritat et oscillatio atque omnia symptomata, quae ab ea pendent, augentur. His perpensis, quis non videt, remedia laudata exacte ea esse, quae immediate in hoc inflammationis stadio contraindicata sunt: quum symptomata quae auferenda fuissent, quam maxime his augeantur. Eo tantum respectu commendanda possunt videri haec medicamenta, quod inflammatio a copiosiore sanguinis affluxu et accumulatione pendeat, ideoque adstringentia, roborantia et omnia supra dicta adhibenda sint, ut sanguis repellatur, quem emollientia et relaxantia magis allicerent, ita ut ab eorum effectu sanguis accumuletur, et tumor, stagnatio, atque ipsa inflammatio augeatur: quod autem cum nostra theoria nullo modo convenit. Nos enim potius arbitramur, emollientibus atque sedantibus stimulum, motumque oscillantem mitigari, nec non tensionem dolorificam, et spasmum ac vehementem sanguinis in partem affectam affluxum imminui: cui sententiae et jam Cl. *Nico-*

lai *) favet, ſcribens: „Ueberhaupt muſs man bei allen Entzündungen mehr den Reitz, als die urſprüngliche Urſache aller Zufälle der Entzündung wegzuſchaffen, oder deſſen Wirkungen zu mindern, als den vermehrten Zu- und Einfluſs des Blutes in den leidenden Theil zu hemmen, zurückzutreiben und abzuhalten ſuchen, denn ſo bald der Reitz gehoben, oder deſſen Wirkungen geſchwächt werden, legt ſich aller Sturm von ſelbſt; da nun dieſes erweichende, relaxirende und beſänftigende Mittel thun: ſo iſt offenbar, daſs dieſe bei Entzündungen ſehr nützlich und heilſam ſeyn müſſen, und zwar alsdann vorzüglich, wenn bei Entzündungen die Spannung, Härte, Trockenheit und der Schmerz ſehr groſs ſind. „Haec Symptomata autem in primo inflammationis ſtadio tantum urgent. Pergit vir Cl:“ Es iſt weit entfernt, daſs die Mittel den Zufluſs der Säfte und die Entzündung vermehren ſollten: ſie mindern und heben ſolche vielmehr aufs kräftigſte. Sie befördern die Eiterung ſo wenig, daſs ſie vielmehr die Entzündung aufs kräftigſte zertheilen; es ſind alſo zuſammenziehende, ſtärkende, zurücktreibende

*) l. c. pag. 351.

bende Mittel, die nie ohne Reitz wirken, bei Entzündungen weit weniger zuträglich als erweichende, erschlaffende und besänftigende Mittel.“ Cl. *Richter* *) *Lieutaud* **) *Macbride* ***) *Burserius* ****) *Kirckland* *****) et alii nostri aevi cl. viri hanc rem eodem modo cogitant, sed non omnes satis exacti in determinando stadio fuerunt.

Sed ad secundi stadii inflammationis glandulosae Indicationes progrediamur! Et in hoc stadio, (exsudationis a nobis dicto) ut in primo, ante omnia ad causam proximam respiciendum est. Supra §. 10. notavimus: Exsudationem a laxitate vasorum glandulae praedominante provenire. Si itaque Medicus ad aegrotum accedens ex symptomatibus apparentibus, quorum praecipua praecedente paragrapho exhibuimus, percipiat, morbum

 jam

*) Observat. chirurgic. fasc. III. cap. VIII. de legitimo antiphlogisticorum externorum usu.

ejusd. chirurgische Bibl. 5 Band S. 709. ejusd. Anfangsgründe der Wundarzn. 1ter Band §. 60 — 71.

**) l. c. tom. IV. cap. de morb. ocul.

***) l. c. tom. II. pag. 122.

****) l. c. tom. III. pag. 279.

*****) an Inquiry into the present state of medical Surgery.

jam ad ſecundum ſtadium proceſſiſſe: certe nulla alia ei inſtituenda erit indicatio, quam haec, ut laxitati tamquam proximae cauſae occurrat. Vix vero in hoc glandulae ſtatu morboſo alia poterimus medicamina proponere, quam adſtringentia et roborantia externe applicata; attamen monitu neceſſum eſſe nobis videtur, ne praemature atque nimia copia initio adhibeantur, inprimis ſi materia exſudans cujuſdam acritudinis ſuſpicionem moverit. Eâ enim praemature ſuppreſſâ, mala ſane pejora poſſent ſequi. Oportet itaque hoc in caſu ante roborantium et adſtringentium uſum, illa adhibere, quae excretionem promovent, ſic ut humor purulentus omnis evacuetur, atque inflammationis vi reliqua mitigata, denique partium ſolidarum deſtructioni vel exulcerationi occurratur. Eadem igitur remedia, quae ad reſolutionem ſerviunt, etiam nunc aliquatenus continuanda, una cum purificantibus ac lenioribus roborantibus reſolventibuſque. Certiſſimo autem ſigno, quod materia exſudans omni acritudine deſtituta ſit, eſt, ſi omnia ſymptomata in primo ſtadio valde urgentia fere penitus evaneſcant: et tunc nihil eſt, quod roborantium atque adſtringentium uſum interdicat.

For-

Forſan qui haec remedia indiſcriminatim laudarunt Autores, ea in hoc morbi ſtadio, optimo cum ſucceſſu adhibuerant.

Tertii glanduloſae inflammationis ſtadii indicationes omnino duplices, ut ejus exitus, ſint oportet. Supra monuimus, hoc ſtadium obſtructione terminari, atque hanc, ſi materia incarcerata benignae ſit indolis, indurationem: ſi contra malignae ſit, exulcerationem efficere. Addidimus autem, obſtructionem a nimia partium debilitate ac relaxatione originem ducere. Facile igitur pro iis, quae de ſecundi ſtadii indicationibus propoſui; mus, judicari poterit, quod cum laxitas obſtructionis cauſa ſit, ei ſimili modo, quo laxitati in ſecundo ſtadio, occurrere oporteat, quod et hinc et roborantia et adſtringentia ei opponenda ſint. Verum, ſi res paullo exactius perpenditur, mox illuceſcit, debilitatem obſtructionis quidem, ſed non indurationis cauſſam proximam eſſe, ideoque indicationem magis ad indurationis remotionem quam ad obſtructionis ſolutionem tendere; illa enim remota et haec ſimul removetur: quum contra, etſi valentiſſima medicamina debilitati aut relaxationi objeceris, non ſolum attentionem tuam

fruſtratam, ſed et alia his pejora vitia oriri videres.

Ad indurationem autem tollendam, duplex eſt methodus agendi: et prima quidem in hoc poſita eſt, ut eam diſcutiendo reſolvendoque oppugnemus, altera vero in eo, ut, dum prima locum non invenit, exſtirpetur. In uſu autem diſcutientium reſolventiumque attendendum eſt, ne ea promiſcue et inconſulto adhibeantur; medicus ergo eorum ante uſum ſemper animo perpendat: num induratio diſcuti poſſit, nec ne? Et ſi eam omnino diſcutiendam putet, an ſpes ſucceſſus optabilis, quem intendit, ipſi affulgeat; aut annon potius pejores ſequelae timendae ſint? Reſolutio enim glandulae induratae non ſemper ex voto ſuccedit: nam ſi remedia lenia adhibentur, juſto tardius vel lentius vel nequaquam agent; ſi vero fortiora ac potentiora ſumſeris, totum corpus omnemque ſanitatem vacillare facies, et debilitabis, imo et ſcirrhum haud raro in verum cancrum vertes, inprimis ſi medicamina dicta nimis frequenter ac juſto majori doſi applices, nequid de temporis jactura in reſolventium uſu dicamus. Momentum enim exſtirpationis elabitur atque aeger omni ſpe auxi-

lio-

que privatur. *Cl. Richter* *) fusius de hac re tractat ita, ut a quocunque medico legi mereatur: cujus Judicio relinquendum, an statim ab initio resolutio exstirpationi vel haec illi anteponenda sit; ubi semper ad scirrhi ortum, indolem, durationem, magnitudinem, duritiem et locum, quem occupat, denique ad subjecti habitum, temperamentum, regimen, sexum et aetatem respiciat.

Obstructionem autem in tertio inflammationis stadio in exulcerationem degenerare diximus, inprimis si materia infarcta, acrimonia quadam infecta est. Facile liquet, hic certas atque determinatas indicationes exhibere, rem esse, etsi majoris momenti, difficilem tamen ob varias ac multiplices causas, quas agnoscunt. Quisque casus singularis medicum docebit, quaenam indicationes instituendae sint, easque eo certius attinget, quo exactius magisque assidue materiae morbificae indolem perscrutatus fuerit, detexeritque, an scrophulosae, vel venereae vel scrobuticae etc. naturae sit; habitus totius corporis, status singularium partium, morbi praegressi, regiminis aegri, et

 alia

*) Anfangsgründe der Wundarzn. §. 433.

aliarum causarum remotarum perpensio, majorem in hoc scrutinio praebet lucem; ulceris mundities, regimen atque diaeta moderata, correctio massae humorum, moderata septicorum erodentium vel causticorum applicatio in genere hic indicantur. Denique et hoc monendum superest, quod, sicut in hoc ultimo stadio variae enumeratae acrimoniae nobis optimum ad indicationes struendas praebent momentum, sic et in utroque praegresso eae ad coindicationem formandam inserviant, ideoque remedia iis opponenda nunquam in primis stadiis negligenda sint.

Ex dictis perspici potest, quonam modo dissensus inter auctores medicamentorum adhibendorum ratione, ortus sit, immo oriri debuerit. Quidam enim ex iis, qui medicamenta ab aliis indiscriminatim laudata damnavere, certe dicta a nobis proposita valde neglexerunt, et ob neglecta morbi stadia, perversas instituerunt medelas: quare et optatum nunquam viderunt successum. Porro et hoc liquet, medicamina varia in Ophtalmia glandulosa applicari posse, sed cum discrimine illo, quod notavimus. Persuasissimum igitur nobis est, si quis ea, quae delineavimus, pacato atque

aequo

aequo animo perlegerit, eum obſervationes deſcriptioneſque tam controverſas non ſolum rite dijudicaturum atque diſcreturum, ſed etiam normam quandam inventurum, quam proſequi ipſum nunquam poenitebit.

Nunc ad ſpeciales quaſdam glandularum oculi inflammationes progrediamur, et quidem illarum, quas ſupra §. 3. expoſuimus, nempe glandularum Meibomianarum, carunculae lacrymalis et glandulae lacrymalis. His diſcuſſis quaedam de ſacci lacrymalis atque ductus naſalis glandularum quibuſdam morbis dubia proponere nobis liceat. Quum autem cujuſcunque glandulae morbus, etſi unus idemque ſit, attamen ſecundum ſtadium quod percurrit, aliam praebeat ſpeciem ut, e. g. Hordeolum, quod mox inflammatum mox ſuppuratum, mox denique induratum apparet: non incongruum fore arbitrati ſumus, ſi cujuſcunque glandulae oculi inflammationem ſecundum ea, quae percurrunt ſtadia, enumeremus, vt ſimul perſpiciatur quaenam medela, ſecundum ea, quae ſupra diximus, cuique morbo facienda ſit; hincque ratio noſtrae diviſionis pendet.

Praemittamus autem antea Diagnoſin ophtalmiae glanduloſae generalem.

§. 12.

§. 12.

Primum hujus inflammationis initium se prodit aucta smegmatis mucidiusculi secretione. Haec aucta secretio provenit ab irritante materia ad glandulas deposita, quae auctum humorum affluxum ad eas, majoremque oscillationem in ejus vasculis producit. Initium ophtalmiae est ideo sine conspicua inflammatione externa. Aeger quum mane expergiscit, pultaceam materiam in canthis oculorum et tarsis palpebrarum sentit, quae parvulis crustis lemis, ciliis adhaeret; Cilia pluribus in locis, majoribus minoribusque spatiis conglutinata cohaerent, et filis cera junctis similia evadunt. Si palpebrarum externam paginam microscopio exploras, prope tarsum cutem tenui crusta splendente, quasi vernice obductam videbis. Sub tarsis in palpebris quaedam loca magis humida sunt, atque ea prae ceteris patiuntur. Si haec symptomata non augentur et ad finem usque decrescunt, proprio nomine, Epiphorae glandulosae insigniri potest.

Si inflammatio incrementum capit, limbus palpebrarum intumescens ruber fit, aeger in parte affecta dolorem sentit, qui vero ita mitis est, ut

ut eum aptius pruritum quam dolorem vocaveris.

Sebi ſecretio copioſior ſuccedit, oculus perpetuo pultacea materia impletus eſt (ideoque vernacula dicitur Butter-Auge ſ. oculus gramioſus) quae mane oculum ita conglutinat, ut aegre aperiatur. Simul et ex caruncula lacrymali humor craſſiuſculus copioſius ſecernitur. Materia, quae tunc effluit, variae eſt conſiſtentiae, indolis et coloris. Interdum tenuior atque ita acris, ut omnia excoriet, interdum magis blanda et ſpiſſa, ciliisque pultis inſtar adhaerens; albi, flavi, ac ex flavo virideſcentis coloris eſt, ut in ophtalmia gonorrhoica et venerea; ſi ad hoc pervenerit ophtalmia glanduloſa, dicitur Lippitudo. In majori gradu et tarſum aggreditur inflammatio et perichondrium, eum inveſtiens, ipſaque vaſa tarſum adeuntia; aliquando parvulae puſtulae herpetis aut ſcabiei inſtar margines palpebrarum obſident. In minori gradu, conjunctivae exiguus vel nullus rubor; in majori vero, dum materia valde acris eſt, ea valde rubet, quod a loci proximitate pendet; immo ad genas usque interdum rubor et inflammatio porrigitur: autores hunc ophtalmiae gradum pſorophtalmiam vocant.

Cete-

Ceterum vehementia inflammationis in toto decurſu admodum variat; mox mitior eſt, mox omnino pro tempore evaneſcit, mox exacerbatur. Hae mutationes a vitae regimine, coeli temperie, mutationibusque in corpore provenientibus pendent. Varioloſa ophtalmia in puellis interdum cum apparitionibus menſium evaneſcit, quum acrimonia paulatim alia via evacuetur. Ex vitiis diaeteticis, ex aeſtuatione, oppletione ventriculi cibis dyſpeptis, cacochymicis, potulentis ſpirituoſis, transſpiratione ſuppreſſa; coelo humido, vere, autumno etc. exacerbantur: aeſtate vero et ſicca hieme mitiores ſunt hae ophtalmiae. Quum felix medelae ſucceſſus, a perfectiori diagnoſi pendeat, pauca quaedam ad eam ſpectantia addamus.

Copioſior humoris muciformis atque muci ipſius effuſio characteriſticum inflammationis glandularum ſymptoma nobis videtur, quo praecipue ab ea membranarum oculi diſtinguitur. Dolor in membranacea fere ſemper magis acutus, punctorius et penetrans, quam in glanduloſa eſt; oculi mane non tam firmiter in membranacea conglutinantur, et humor effluens magis aquoſus et minoris conſiſtentiae, quam in glanduloſa inflammatione evadit.

In

In quavis glandulosa inflammatione inprimis in externa oculi, propter proximitatem loci, inflammatio tam in conjunctiva bulbi oculi quam in interna palpebrarum lamina, ipsoque tarso et perichondrio haeret. In inflammatione contra conjunctivae et aliarum oculi tunicarum vasculosarum palpebrae, tarsus et perichondrium minus patiuntur. Illa ut plurimum chronica, haec fere semper acuta est. Quae ad prognosin attinent, ea omittimus, quum Cel. *Burser de Kanilfeld* omnia, quae hoc respectu dici possunt, fusius exposuerit *).

§. 13.

Nunc sequantur inflammationes singularium oculi glandularum, secundum stadiorum seriem: et primo quidem, morbi glandularum meibomianarum in primo eorundem stadio; quorum medela maximam partem in emollientium et sedantium usu, ut supra demonstravimus, consistit. Praemonere autem oportet, nos perquam breves in expositione variorum morborum oculi inflammatoriorum futuros esse. A nostro enim proposito valde alienum est, et specimini academico non respon-

*) l. c. Tom. III. §. 306.

ſpondet, amplum ſcriptionis campum aperire. Ideoque quemque hic occurrentem morbum ſuo tantum nomine commemoraturi, pauca ad diagnoſin ejus ſpectantia adjungemus. Curationem ſpecialem plane omiſimus; generalem vero ex dictis facile erui poſſe arbitramur. Itaque ab Hordeolo, ut morbo frequentiſſimo incipiamus. Hordeolum autem dicitur tumor parvus, in limbo palpebrarum, prope cilia aliquando magis internam, aliquando externam palpebrarum paginam verſus, poſitus, grano hordei ſimilis, unde et nomen accepit; ſedes ejus vulgo eſt in glandulis ſebaceis meibomianis **). Triplex eſt ejus apparitio; mox inflammatum tantum, mox materiam mucidam exſudans, mox denique induratum et ſimul inflammatum occurrit. Liquet igitur: hordeolum inflammatum ad primum oculi glandularum inflammationis, exſudantem vero ad ſecundum; induratum ac ſimul inflammatum vel uno verbo exulceratum, ad tertium ſtadium pertinere.

I. Glandularum Meibomianarum inflammationes primii ſtadii.

a) Hor-

*) Vide *Cl. Richter* Anfangsgründe der Chyr. cap. 18. *Boerhave* de morb. oculor. pag. 3. *Pleuri* l. c. p. 25.

a) Hordeolum inflammatum. Tumor pedetentim exoriens, initio dolor prefforius in quodam loco tarfi palpebrae fuperioris vel inferioris, frequentius vero verfus canthum internum fentitur; cutis rubefcit et paullatim intumefcit; punctulum livefcens in apice tuberculi tumefacti aliquando obfervatur; eodemque in loco, hordeolo ftadium fecundum ingreffo, humor muci aut puriformis exfudat; periodicum nonnunquam eft *);

b) Pruritus palpebrarum
exiguus rubor, pruritus absque tumore confpicuo atque effluxu, inflammatio tamen levis marginum palpebrarum et quarundam glandularum meibomianarum adeft.

c) Epiphora glandulofa
Inflammatio paullo vehemens glandularum oculi, imprimis vero meibomianarum. Palpebrae rubent, tument, dolentque; limbus earundem magis tumet quam membranae palpebras conftituentes; aegri lucem, atque mitiffimum ventum male ac cum moleftia ferunt.

*) Cl. *Richter*, l. c. cap. 18.

runt. Effluxus ſeri mucidi mox minus mox magis copioſus; conjunctivae modicus vel nullus rubor; palpebrae mane clauſae ſunt; materia vero eas conglutinans, etiamſi viſcida, attamen fere decolor eſt; et ſibi relicta liqueſcit, et oculus, absque ullo auxilio aperitur.

d) Lippitudo, vehementiſſima glandularum inflammatio; dolor punctorius ac ſi oculus vel ſaltim partes affectae aculeis pungeretur. Rubor magis in interna palpebrae ſuperficie, quam in externa conſpicitur; plerumque et conjunctiva rubet; oculus valde calet. Limbus plus minusve intumeſcit. Exſudatio humoris puriformis initio raro acris, ſed valde copioſa, qua tarſi noctu, quaſi luto flavo, vel flavo virideſcente ita conglutinantur ut aegre, nec ſine dolore aperiantur. Infantibus ac juvenibus familiariſſima eſt; aliquando pertinax, aliquando ſucceſſu temporis ſponte evaneſcit. Quando ſenes, atque potatores, inprimis ſpirituoſa amantes, ea afficiuntur, immedicabilis fere fit.

II. Glandularum meibomianarum inflammationes ſecundi ſtadii.

Et

Et hic omnia ea, quae §. 11. de Indicationibus hujus inflammationis in secundo stadio universim exposuimus, revocanda et in omnibus glandularum inflammationibus nunc describendis eaedem instituendae sunt indicationes.

a) Hordeolum, humorem puriformem exsudans, est ut plurimum sequela hordeoli inflammati vel neglecti vel pravis remediis curati. Nonnunquam hic hordeoli status absque praegressa inflammatione conspicua apparet. Si cito progreditur, certum est signum, quod exsudatione sit terminandum: si vero lente procedit, in scirrhum abit. Tumoris circumferentia dura, initio duriuscula, quae autem paullatim emollescit. In medio tumoris punctulum est lividum, ut supra diximus, quod primo humorem crassum ac mucidum exstillare incipit, pedetentim ingravescit et tandem ad circumferentiam notabilem se extendit: et quo citius hoc fit, eo majus doloris, calorisque decrementum est. Omnis tunc hordeoli ambitus materiam, de qua saepius egimus, exsudat, quae exsudatio ante roborantium atque adstringentium usum remediis congruis facilitanda est.

b) Psorophtalmia *). Haec, etsi supra descriptae lippitudunis instar, inflammatio cum dolore conjuncta sit: attamen eo ab illa distinguitur, quod limbus palpebrarum mox pustulis parvis exulceratis, mox parvulis papillis, herpeticis, scabiosisque exanthematibus similimis (unde ejus nomen scabies palpebrarum **) obsitum sit. Vulgo ex acrimonia quadam in corpore latente illic deposita oritur; fere semper ex ulcusculis materia valde acris tarsum ac genas corrodens effluit, quae oculos clausos sic conglutinat, ut non nisi cum dolore, molestia atque depravatione morbi distendi queant. Interdum vero effluxus omnis abest: tunc autem purulentior pertinaciorque evadit. Nonnunquam hic morbus non solum palpebrarum margines, sed et earum superficiem externam, et partem genae occupat. Autores varias hujus morbi fecerunt distinctiones, quae in operibus *Celsi*, *Sen-*

*) Vide Remarks on the ophtalmy, psorophtalmy and purulent Eyeetc. by *James Ware*.

**) *Castelli Lex.* med. explicatio psorophtal.

Sennerti, *Heisteri*, *Maître Jan*, *St. Ives*, *Woolhouse* et aliorum occurrunt.

III. Glandularum Meibomianarum inflammationes tertii stadii.

a) Hordeolum induratum vulgo oritur, dum praecedentibus stadiis, aut inflammatio inconsulto suppressa, aut exsudatio non satis sustentata et retropulsio aut alia perversa eorum curatio instituta fuit. Aliquando induratum absque omni dolore ac inflammatione perdurat; aliquando inflammatio, et dolor adsunt, sed post temporis spatium brevius, longiusve evanescunt, et temporis successu revertuntur. Si inflammatio redit, exulceratio maligna in eo apparet et tunc vulgo scirrhosa, carcinomatosa dicitur. Quodcunque autem sit, semper molestiam, inprimis visui affert.

Ex his quoque patet

b) Scirrhus palpebrarum tarsi, et

c) Cancer ejusdem; item

d) Tylosis, quae est callositas marginum palpebrarum, quam Germani vocant *Ascher-*

ſchütt ideo, quod malum hoc a cineribus, e quibus lixivium paratur, generari credebant, ſi nimirum quis ad locum illum, in quo tales cineres aſſervantur, inopinato deveniat. Hoc vitium quandoque in ſcrophuloſis et venereis deprehenditur.

Et hi ſunt morbi, qui frequentiſſime glandulis Meibomianis, tamquam primarii, proprii ſunt. Satis quidem ſcimus, alios adhuc eſſe, qui commemorari potuiſſent, nec minus perſuaſum nobis eſt, commemoratos paullo fuſius exponi potuiſſe: aſt, quoniam ea tantum exempla exhibere, noſtrum propoſitum fuit, quibus generaliora, ſupra expoſita, magis illuſtrarentur, quumque porro limites, qui ſcriptiunculae academicae conveniunt, transgreſſuri eſſemus, ſi omnia quae hac de re tractanda ſuperſunt, erueremus; demum quum quivis artis peritus omnia a nobis omiſſa, facile ad dicta referre poſſit: nos ulteriorem inflammationis glandularum meibomianarum deſcriptionem atque enumerationem, omni cum decore ſilentio praeterire potuiſſe, judicavimus.

Si autem aliquis exactiorem horum morborum legere velit deſcriptionem, ei Opera *Maitre Jan,*

Jan, St. Ives, Gendron, Guerini, Janini, Maucharti, commendamus. Nunc morbos quosdam inflammatorios carunculae lacrumalis eodem ordine ac modo, quem in expositione morborum glandulas meibomianas afficientium observavimus, percurramus.

Haec caruncula, quum fere iisdem, quibus glandulae meibomianae, obnoxia sit morbis, eâdem quoque ratione curanda est *).

In inflammatione hujus glandulae copiosorem sebi secretionem fieri, *Janin, Boerhaave, Werner* aliique ophtalmiatri exemplis probant. Haec glandula cum ceteris simul aliquando affecta est, ideoque singularem attentionem non meretur, utpote quae iisdem remediis in et externis curanda sit. Sed sunt et exempla, quod sola affecta sit, quam affectionem nomine Encanthis salutamus.

Encanthis autem est tumor carunculae non exiguae magnitudinis, aliquando dolorificus, aliquando insensibilis: quare et palpebrae claudi non

 possunt.

*) Vide *Jos. Warner* a Discription of the human Eye and its adjacent parts together villi their principal Diseases etc. pag. 26.

possunt. Interdum tam magnus ejus est tumor, ut vias lacrymales obtegat comprimatque ita, ut lacrymae ad saccum deduci nequeant.

Sunt, qui Encanthidem benignam atque malignam *), fungosam ac induratam **) dixerunt: nos vero cum Cl. *Richtero* ***) eam in inflammatoriam, purulentam et scirrhosam dividimus; siquidem haec divisio tribus stadiis cujusque glandularum oculi inflammationis proprie respondeat. Quod autem primam, inflammatam nempe, attinet, etsi secundum ejus phaenomena, quae exserit, ad stadium primum inflammationis glandulosae referri posset, ideoque easdem indicationes atque curationes, quas in hoc stadio inflammationis instituendas docuimus, institui oporteret: malumus tamen remediis a Cl. *Richtero* propositis assentire; atque emollientibus sedantibusque, quae in hoc stadio ceterarum glandularum inflammatarum magno cum emolumento adhiberi solent, adstringentia et irri-

*) *Deshais Gendron* l. c. Tom. I. pag. 281. *Plenck* l. c. pag. 67.

**) *Maître Jan* l. c. pag. 471.

***) Anfangsgründe der Wundarzneyk. 2ter Theil cap. 16.

irritantia una cum ſcarificatione tumoris, ſi neceſſitas urgeat, praeferre.

1) Encanthis inflammatoria cognoſcitur ex intumeſcentia carunculae lacrymalis rubra, ſubito nata, quae dolet, atque calet. Ut plurimum Epiphora glanduloſa cum ea conjuncta eſt; aliquando glandulae vicinae, ut Meibomianae, ſimul inflammantur, immo nec raro conjunctiva tunica rubeſcit, et viſum turbat: tumor in hoc ſtadio mollis eſt.

2) Encanthis purulenta dignoſcitur ex tumoris augmento, atque caloris decremento; tumor qui nunc formam ſacculi humido quodam repleti offert, livido colore atque lancinante dolore inprimis ſe manifeſtat. Si digito tangitur, valde elaſticus ac humore ad evacuandum apto repletus, ſentitur, qui humor punctura emittendus eſt; tumore aperto, curatio eadem eſt, quae in aliarum glandularum inflammationum ſecundo ſtadio.

3) Encanthis ſcirrhoſa cognoſcitur ex excrescentia carunculae induratae, quae maximam, quam poteſt, magnitudinem capit cum dolo-

re aut exiguo aut nullo: vulgo ex mala praecedentium ſtadiorum curatione aut eorundem neglectu, aut abſque cauſa perſpicua oritur; ut plurimum tamen miaſma cancroſum pro cauſa agnoſcit; color intumeſcentiae mox flavus, mox plumbeus eſt; ſuperficiem inaequalem habet. Sunt, qui eam in carcinoma abire contendunt, quod autem cl. *Richterus* raro accidere putat.

Exſtant et alii carunculae lacrymalis morbi inflammatorii, qui facile ad unum aut alterum commemoratorum, tamquam ſpecies, reduci poſſunt. Hi, licet aliquando forma ac Symptomatibus inter ſe differant; attamen curationis ratione fere conveniunt, ita, ut tantum eas nominatim *Tayloro* duce *) exponamus.

4) Rhyas primae ſpeciei, eſt laeſio ſubſtantiae et figurae carunculae, ab ulcere orta, qua lacrymarum influxus in ductus lacrymales impeditur; ideoque oculus humore lacrymali perpetuo repletus manet.

5) Rhyas

*) nova Noſographia ophtalmica.

5) Rhyas ſecundae ſpeciei, oritur ex caruncula, ab ulcere plane eroſa: hinc punctorum lacrymalium ſitus praeternaturalis lacrymarum a cantho majori, ſupra palpebram effuſionem facit

6) Anthrkaion dicitur, ſi cum reliquis Encantidis inflammatoriae ſymptomatibus illa carbunculi junguntur.

7) Karkinos, inflammatio dicitur conjuncta cum ſymptomatibus carcinomatis vel cancri.

Sarcomata carunculae hoc loco commemoranda non veniunt: eorum enim ſedes carunculae celluloſa eſt; ideoque ad noſtrum propoſitum non pertinent.

Ceterum judicio medici relinquamus, hanc vel illam enumeratarum carunculae laeſionum ad hoc vel illud inflammationis ſtadium referre; quod eo facilius et in curatione eo feliciori ſucceſſu fiet, quo attentius ſymptomata huic vel illi ſtadio convenientia fuerint obſervata.

Ad glandulae lacrymalis inflammationem nunc venimus, morbum curatu difficillimum atque

medico opprobriosissimum, quum, nisi interdum statim exstirpetur, caecitatem inducat. Haec glandula enim ita intumescere potest, ut nervum opticum comprimat vehementissimosque dolores excitet *). Ceterum, uti et reliquae oculi glandulae, stadia inflammationis observat, ideoque

1) glandula lacrymalis inflammata, saepe oritur a praegressa ophtalm. membranacea aut glandulosa vel neglecta vel perverse curata. Cognoscitur ex dolore, in fundo orbitae atque magis versus oculi canthum minorem saeviente; aeger calorem urentem atque pulsationem in loco, ubi haeret, sentit; initio lacrymatio fit uberior, quae paulatim imminuitur propter compressionem hujus glandulae emissariorum a tumore increscente oriundam **) ex qua Proptosis sequitur; etc.

Si omnia haec observantur, quam certissime concludi potest, inflammationem adesse; et tunc sine

*) *Jos. Warner* l. c. p. 28.
Boerhave de morb. ocul. pag. 34.
**) *Boerhave* l. c. p. 27.

ſine mora omni ſtudio inflammationi tollendae opera danda eſt: ea enim protracta, diriſſima mala affert. Huic autem propoſito ſaluberrima ſane ſunt remedia, in hoc ſtadio a nobis ſaepe commendata, emollientia nempe atque derivantia *); quae ſi neglexeris, orietur

2) glandula lacrymalis, materiam puriformem exſudans; cognoſcitur ea ſymptomatum in primo ſtadio urgentium mitigatione, ex oculi proptoſi pauliſper aucta atque ex perpetua oculorum ſcintillatione, qualis ſolet fieri, quando alapa infligitur etc. Si hic ſtatus diu durat, quin ei citiſſime occurratur, omnis oculus internus brevi peribit; ideoque effluxus materiae in glandula ſe accumulantis promovendus, iiſque remediis, quae in hoc morbi ſtadio ſupra indicavimus, roborantibus ſcilicet lenientibus atque adſtringentibus properandum eſt **): his enim omiſſis ſequitur

3) glandula lacrymalis indurata, quae aut in ſcirrhum aut exulcerationem cancroſam abit; quod

*) *Boerhave* l. c. p. 29.
**) idem l. c. p. 30.

quod utcunque ſit, horrenda alia mala creat, ab H. *ab Aquapendente* et *Hildano* deſcripta; ſigna ejus morbi ſunt dolor totius oculi profundus, coecitas pedetentim ſuccedens, ſiccitas oculi etc. Si in ſcirrhum mutatur, nullam praeter exſtirpationem, medicinam dari, cenſent autores.

Cl. *Warner* dicit „I have a few times ſeen the la„crymal gland ſo much enlarged and altered from „itis natural texture as at length to evade every „kind of aid but that of extirpation; etc.

Si vero in exulcerationem abit, cl. *Boerhave* eam immedicabilem putat.

Jam haec ſunt, quae de glandularum ad oculum proprie pertinentium inflammatione nobis dicenda fuere.

§. 14.

Supra §. 3. glandulas viarum lacrymalium, ſacci lacrymalis nempe et ductus naſalis, oculo, ad varios uſus inſervientibus partibus oculi glanduloſis adnumeravimus. Hae glandulae vero diverſis morbis ſedem praebent, qui omnem merentur attentionem: ſiquidem eos male agnitos hinc-

que

que perverſe curatos, vel diriſſima oculi vitia ſequi poſſunt. Ex ſupra dictis facile liquet, et experientia ſimul docet, varias ſupra recenſitas acrimonias ad glandulas in viis lacrymalibus haerentes deponi poſſe, ibidemque inflammationem iisdem ſignis, quae de inflammatione glandularum Meibomianarum indicavimus, conſpicuam fieri. Glandulae etiam ſacci lacrymalis et ductus naſalis ab acrimonia in eas depoſita ut plurimum irritantur, ideoque copioſiorem ſecernunt mucum, qui pro ratione acrimoniae et tempore ſtagnationis, variegati coloris, puriformis, viridis, flavus, evadit; ſimul pulpoſa tunica, quae has vias inveſtit quaeque glandulas continet, et glandulae ipſae a maiori humorum verſus locum irritatum affluxu, inturneſcunt. Ab hoc tumore et materiae contentae ſpiſſitudine ſtaſis oritur; hac ſtagnatione materia ſerior fit, ut et ſtricturam in ductu naſali, tranſitum ad nares denegantem producere poſſit. Sed licet plerumque ſaccus ita repletus, dum premitur, puriformem mucum per puncta lacrymalia excernat; punctis tamen lacrymalibus compreſſis, haec materia ſacco digitis preſſo, ad naſum deorſum diſpellitur. Si inflammatio harum glandularum incrementum capit, ſaccus atque ductus rubent dolentque;

lentque; materia tunc puri ſimilior fit, quamvis nullum adſit ulcus, eodem plane modo, quo ſupra jam diximus, glandulas etſi leviter irritatas aut debilitatas, humorem vel mucum, quem vulgo continent, ſic mutare, ut puris faciem prae ſe ferat. Interea tamen non negamus, morbum, ſi in hoc ſtadio negligatur, in veram exulcerationem, uti et aliae glandulae, abire et cum carie oſſis unguis complicari poſſe. Decurſus hujus morbi, quod reliquum eſt, perfecte idem evadit, ac ille, quem de inflammatione glandularum Meibomianarum indicavimus: mox lenior fit, mox acerbior, mox omnino evaneſcit. Quis itaque non videt, quam incongrue hic morbus fiſtula lacrymalis nominetur. Attamen et ſunt, qui eum propter enarrata ſymptomata ita appellandum eſſe contendunt; licet nihil fiſtuloſae naturae habeat, et experientia duce de contrario certos ſe reddere potuiſſent, poſtquam ſaepe infeliciſſimo cum ſucceſſu, operationem, forſan a denominatione ſeducti, inſtituerant.

Videamus, an aliquid de natura fiſtulae lacrymalis noſtro morbo tribuendum ſit? Liceat eum in finem variorum autorum tam veterum quam recen-

centiorum definitiones de fistula lacrymali ad nauseam usque a variis scriptoribus repetitas, breviter enarrare, et hoc facto, morbum, de quo sermo est, cum iis conferre.

Veteres nimirum, et nonnulli quoque recentiorum variam sibi de fistula lacrymali ideam animo formarunt, quae omnino, forsan ex illorum ignorantia, forsan ex observationibus institutis, valde incongrua evasit: mox enim Anchylopem, mox aegilopem moxque Epiphoram pro nostro morbo declararunt; quod e. g. ex scriptis *Marc. Severini* *) aliorumque hujus aevi autorum videri potest. Magnus *Boerhavius* cum aliis, qui eum secuti sunt, hos errores emendavit, et exactiori rei anatomicae cognitione ductus, non solum alias, easque morbo, de quo sermo est, convenientiores condidit descriptiones, sed et morbum ipsum in ordinem redegit. Paucis varias autorum de fistula definitiones exhibeamus, quibus requisita ad fistulam omnino necessaria, cognoscantur.

Ex

*) in Libro II. Pyreth. Chirurg. Part. I. cap. III.

Ex omnium fere autorum veterum ſententia colligitur, nullum aliud ad fiſtulam referri poſſe ulcus, niſi ſinuoſum cum callo; callum vero eos fiſtulis, tanquam primum earum attributum adſcripſiſſe, ex ipſorum verbis illuceſcit. Sic *Guido de Cauliaco* *) eſſentialem fiſtularum differentiam, in calloſitate cum forma ſinuoſa conjuncta ſtatuit. Immortalis *Hippocrates* **) fiſtulas, tamquam ulcera cava, calloſa cicatrice obducta exponit; *Galenus* ***) ſinus anguſtos longoſque, callo et duritie ſtipatos, fiſtulam dixit. *Celſus* ****) Fiſtulam appellat „ulcus altum, anguſtum et calloſum.“ Et fere eadem ſententia apud *Gabr. Fallopium* exſtat *****). Cl. *Philip. Maſiero, Italus* ******) qui *Barolitani* verbis utitur, „Fiſtola, inquit, „e un „ulcera profonda, che hà l'orifizio anguſto, et il „ſino calloſo,“ ut taceamus *Brunnum Longobur-*

gen-

*) Chirurg. Tract. IV. Doct. I. cap. V.

**) in libr. de Medico pag. 21. et in libr. de fiſtulis p. 884.

***) de tumor. praeternat. tom. II. p. 168. Edit. Geſneri.

****) Lib. V. cap. XXVIII. p. 328.

*****) Oper. tom. II. in tractat. de Ulcerib. cap. IX. p. 33.

******) Opere chirurgice, Ragion IV.

gensem *) *Lanfrancum Mediolanum* **) *Lud. Mercatum* ***) aliosque. Eodem modo *Heisterus* et *Plattner* hac de re sentiunt. Quidam vero recentiorum, inprimis cl. *Richter* ****) ad fistulae naturam, callositatem non solum non requiri, sed eam etiam, tanquam verum callum perraro in fistulis adesse scribit, putans, id quod pro callo in fistulis sumitur indurationem tantum vel inflammatoriam vel ab inflammatione pendentem esse, quae emollientibus, sedantibusque auferatur, vulgo autem per medicamenta stimulantia et irritantia, perverse adhibita, augeatur. Fistulam quoque tàntum forma ab aliis ulceribus differre, addit. Liquet itaque, quam diversae fistulae lacrymalis definitiones fuerint, quum jam autores in fistula ipsa determinanda nimium quantum varient. Proferamus adhuc nonnullas ex praestantissimis, et in arte chirurgica nostro inprimis aevo celeberrimis auctoribus, fistulae lacrymalis definitiones.

Hei-

*) Lib. I. de chirurgi Mag. cap. XV.
**) chirurg. instit. Lib. III. cap. IV.
***) Lib. I. de Instit. chirurg. Tractat. III.
****) Anfangsgr. der Wunderatzneik. Tom. I. cap. XXVII.

Heisterus *) profluvium materiae purulentae vel puris spontaneum, vel digiti ope comprimentis, ex oculi cantho majori, vel e loco ei propinquo, nomine fistulae lacrymalis insignivit. Cl. *Joh. Zach. Plattnero* **) est fistula lacrumalis „ulcus „manans, sinuosum et callosum, quod canales la„crymales, et sic dictum saccum, una cum parti„bus, quae his proxime adjacent, occupat." Magn. *Boerhaave* ad perversam lacrymarum directionem respexit, et „omnem morbum, cuius vi„tio lacruma vel naturalis vel praeternaturalis ca„dit in genas, via in nasum impedita, fistulam sa„lutavit ***)."

Cl. *Garengeot* ****) materiae purulentae collectionem in sacco lacrumali, plerumque sine callositate, fistulam lacrumalem dixit. Cel. *a Gorter* *****) Effluxum spontaneum aut pressione factum materiae cujusdam ichorosae per puncta lacrymalia, sive per aperturam circa canthum majorem

*) In opere chirurg. T. I. Cap. LIV. p. 534.
**) Tom. I. Opuscul. Dissert. I. p. 13.
***) de morb. ocul. cap. VI. p. 17.
****) Traité des Operat. de chirurg. T. III. Cap. IV.
*****) Chirurg. repurg. Lib., V. cap. X.

rem, lacrumalem fistulam vocavit. Apud Cl. *le Dran* *) ulcus profundum et callosum in cantho oculi majori, fistula lacrymalis audit. *St. Ives* Ulcus saccum lacrymalem occupans et in angulo majori oculi conspicuum, sine callo, fistulam lacrumalem constituere censet.

Sam. Scharp. **) Anglus, obstructos ductus, lacrymas ex oculo in canalem nasalem vehentes, quo lacrumae consuetam directionem sequi nequeant, pro fliſtula lacrymali habet. Verba Autoris ita se habent „The fistula lacrymalis is ge„nerally understood to be such a Disorder of the „canals leading from the Eye in the nose, and ma„kes them trickle down the Cheeck" Fere iisdem verbis cl. *Monro* utitur ***). Cl. *de la Forest* ****) ita hac de re sentit „omnes hujus ductus partes „variis subjectae sunt morbis, lacrumarum copio„siorem effluxum post se trahentibus, et absque

 distin-

*) Traité des Operat. de chirurg. p. 302.
**) Treatise on the Operations of Surgery. chap. XXX. p. 174.
***) In Act. Med. Edinburg T. III. p. 358.
****) Memoir. de l'academ. Royal. de chirur. T. II. p. 176.

„distinctione ab Autoribus Fistulae dicuntur. *Jo. Jac. Vogel* *) singularem et ab antecessorum suorum opinione omnino discrepantem definitionem se exhibuisse putat, dicens „Fistula lacrumalis dicitur ulcus, in sacco lacrumali obveniens, „atque cum huius in parte inferiori obstructione „conjunctum.“ *Deshais Gendron* **) „La fistule lacrymale, inquit, est une ulceration des voies lacrymales, mais sur tout du sac lacrymal, quelque „fois sans obstruction du conduit lacrymal, le „plus souvent, avec obstruction, et écoulement de „pus soit par les points lacrymaux, ou par le canal nasal.“

Cl. *Plenk* ***) docet effluxum humoris puriformis ex punctis lacrumalibus, fistulam lacrumalem esse; Cl. *Richter* ****) sentit transitum lacrumarum per vias lacrumales ita impeditum, ut cavum naris attingere hae nequeant, primam fistulae lacry-

*) Tract. de fistul. lacrym. eamque sanand. Method. cap. I. §. V.

**) l. c. tom. I. chap. XXV. p. 307.

***) l. c. p. 57.

****) Anfangsgr. der Wundarzk. Tom. II. Cap. XI. §. 468.

lacrymalis causam esse, quae generatim fistula lacrymalis dicatur.

Cl. *Bell* *) etsi de abusu denominationis fistulae lacrymalis queritur, si ab obstructione canalis inter oculum et nasum appellatur, attamen huic sententiae subscribit. Plures veterum et recentiorum hujus morbi definitiones vel non aeque ad nostrum scopum facientes, vel rem eandem aliis verbis exponentes, ne taedium moveamus et temporis jacturam faciamus, silentio praeterimus.

Superest, ut indagemus, an inflammatio glandularum sacci lacrymalis et ductus nasalis a materia acri in eas deposita, orta, quaedam eorum requisitorum habeat, quae a variis autoribus tamquam fistulae lacrymalis essentialia, varie exposita, legimus. Ex diversis scriptorum sententiis summatim colligitur, pro essentiali fistulae lacrymalis charactere, mox ulceris callositatem, mox sinuosam ejusdem formam, mox utramque, mox denique ductus nasalis obstructionem, cum effluxu lacrymarum copiosiore e punctis lacrymalibus, ab illa pendente, haberi. Quaecunque autem sententia

 ex

*) System of Surgery Vol. III. cap. XVIII.

ex his eligatur: asseri non potest, glandulosae sacci lacrymalis et ductus nasalis inflammationis characteristicum essentiale unâ earum contineri; quod enim ad callositatem attinet, in dictarum glandularum inflammatione ea nunquam apparet: nam id, quod raro in punctis lacrymalibus atque in sacco lacrymali callosum apparet, non vera est callositas, sed tantum induratio inflammatoria, quae plerisque ulceribus inflammatis, monente *Richtero* *) accidit, quaeque remediis emollientibus, ac sedantibus tolli potest. Quod autem ad formam sinuosam spectat, ea nunquam in statu harum partium inflammatorio visa fuit, nisi sinuositatem canalium lacrymalium atque sacci ex iis orientis naturalem, quae inflammatione forsan sinuosior facta est, pro sinuositate, fistulis propria, sumere velis.

Quod sacci lacrymalis ductusque nasalis obstructionem concernit, non est, ut multa ad utrumque, in hoc casu, refellendum proferamus; quum satis superque a clarissimis nostri aevi viris, chirurgicarum rerum omnino peritis demonstratum atque

*) Anfangsgründe der Wundarzneyk. Tom. I. cap. XXVII.

que evictum sit: veram ductus nasalis et sacci lacrymalis obstructionem in fistulis lacrymalibus apparentem, in nostro morbo revera non adfuisse. Praeter ea enim, quae Cl. *Pott* *) ad hunc errorem emendandum exposuit, Cl. *Richter*, qui, quum in quibusdam morbis sacci lacrymalis et ductus nasalis, quos fistulas lacrymales esse crediderat, operationem ad obstructionem tollendam, quam adesse suspicabatur, suscepisset, se postea valde deceptum fatetur, ut propria ejus verba innuunt. „Man hat bisher geglaubt, inquit **) dafs die Ein„zige, wenigstens die vornehmste Ursache der „Thränenfistel eine Verstopfung des Nasenganges „sey; und alle Kur-Methoden und Werkzeuge, die „in den neuern Zeiten zur Heilung dieser Fistel er„funden und empfohlen worden sind, zwecken ein„zig und allein dahin ab, diese Verstopfung zu he„ben. Aber höchst selten ist die Verstopfung die „wahre Ursache der Thränenfistel; diefs beweisen „folgende Umstände.

 „Sehr

*) l. c.

**) Chirurgische Bibl. B. 5. S. 261.
Commentat. Societat. Regiae scientiar. Götting. per annum 1778. Vol. I.

„Sehr selten gehen vor der Entstehung der „Thränenfistel Ursachen vorher, die wirklich eine „Verstopfung des Nasenganges veranlassen können.

„Der schlechte Erfolg der Mittel und Operationen, wodurch der Nasengang geöfnet wird, ist „ein Hauptbeweiss, dass die Krankheit nicht von „einer Verstopfung herrührt. Gemeiniglich kommt „die Krankheit nach der Operation wieder; weil „man durch die Operation ihre Ursache gar nicht „gehoben.

„Sehr oft beobachtet man, dass die Thränenfistel zuweilen von freyen Stücken ganz verschwindet, und nach einiger Zeit wieder kömmt, „oder wenigstens eine Zeitlang sehr gelinde ist, „und dann auf einmahl wieder heftig wird. Wäre die Ursache der Thränenfistel eine Verstopfung „des Nasenganges, so müsste die Krankheit beständig, und ohne Unterlass da seyn; denn immer werden Thränen eingesaugt; immer wird „Schleim im Thränensack abgesondert etc.

„Ich habe, pergit, die Operation der Thränenfistel sehr oft verrichtet, und den Nasengang „nur ein einzigesmahl verstopft gefunden. In al-

„len

„len andern Fällen fand ich den Nasengang offen. „Wenn man (quod et nos notavimus) den aufge„schwollenen Thränensack stark und dergestalt mit „dem Finger drückt, dass die Thränengänge ver„schlossen werden, und die im Thränensack ent„haltene Feuchtigkeit herunterwärts gedruckt „wird, fliesst derselbe oft in die Nase.

„Nach diesen Beweisen wird, denke ich, jeder „Wundarzt mit mir darinnen übereinstimmen, dass „die Verstopfung des Nasenganges eine sehr seltne „Ursache der Thränenfistel ist.

Alio loco *) ita disserit. „In der That ist die „Wiederkehr dieser Krankheit (fistulae nempe la„crymalis) nach der Operation vorzüglich deswe„gen so häufig, weil man selten in jedem beson„dern Falle die wahre Ursache der Krankheit ent„deckt, und derselben gemäss verfährt. Man „denkt nur immer an eine Verstopfung des Nasen„kanals, und öffnet denselben, da er doch wirk„lich seltner verschlossen ist, als man glaubt."

Haec

*) Chirurg. Bibliot. B. 4. S. 454.

Haec expertus, novam fistularum lacrymalium divisionem in doctissimo suo opere *) exhibere studuit, quae etsi maximi momenti sit, eo tamen, quod quasdam hujus morbi species, fistulae lacrymalis speciem prae se ferentes, eodem nomine insigniverit, a scopo forsan suo aberravit.

Saepe proh dolor! accidit, ut in re medica, inprimis practica, methodus agendi paullo inconsultius secundum denominationes dirigatur, quo fit, ut medicus perversas medelas arripiat. Cl. *Pott* in l. c. etiam ita censet, dicens: „As the state and circumstances of this discase are really various, and differ very essentially from each other, „the general custom of calling them all by the one „name of fistula lacrymalis, is absurd.“ En rationem, cur, ut infra patebit, aliam denominationem huic morbo imponere non dubitaverimus. Indagemus nunc: an exstillatio materiae puriformis ex cantho oculi interno, quae nostro morbo convenit, pro fistula lacrymali habenda sit.

Fuere quidem nonnulli Recentiorum, qui symptoma hoc pro primo seu unico ejus requisito haberent: sed, ni fallimur, male. Effluxus enim materiae puriformis ex oculi cantho, semper cum aliquo

*) Anfangsgründe der Wundarzneyk. Tom. II. cap. XI.

aliquo ex mox dictis requisitis, quae effluxus rationem continent, conjunctus est: ea autem ratio, nostro in morbo, locum habere non videtur. Accedit et hoc, quod si in fistula lacrimali ad solum effluxum respiciendum esset, morbus hic, vera fistula dicendus foret. Quum autem in quocunque ulcere fistuloso ad locum vel aperturam, ex qua materia alienata profluit, respiciendum sit: nos, nullo pacto hanc denominationem nostro morbo adtribui posse, censemus. Nam nostro judicio, illi tantum ulceri denominatio fistulae convenit, quod sinum peculiarem atque insolitum et in statu sano non existentem, vel conspicuum vel occultum format, e quo materia contenta atque corrupta per aperturam propriam emittatur. Videmus autem, materiam in morbo, de quo agitur, non ex peculiari apertura, sed ex canali in statu sano aperto ac humorem vulgo vehente provenire, ex punctis nempe lacrymalibus. Valde itaque improprie hoc vitium fistulam dici arbitramur, ni quoque effluxum materiae puriformis ex uretra in gonorrhoea vel ex uteri vagina in leucorrhaea fistulam dici velis: quod vero valde absurdum fore putamus. Et quum exsudatio muci coloris variegati, ex punctis lacrymalibus fere eadem scaturigi-

ne,

ne, qua in Blenorrhoea haurit, ex glandulis nempe atque tunica glandulosa, inflammatis, non incongruum fore censemus, si nostrum morbum *Blenorrhoeam viarum lacrymalium*, dicamus: qua denominatione non solum a vera fistula distinguitur sed et Medico et Chirurgo ansa datur, ut morbum rite dijudicent ac sciant: an veram fistulam, an tantum Blenorrhagiam curandam habeant.

Curationem Blenorrhagiae viarum lacrymalium a nobis omitti posse judicavimus, quum nostro judicio, nihil aliud sit, quam inflammatio glandulosa. Medico igitur ad caussas atque stadium inflammationis, in quo Blenorrhagia occurrit, attendenti mox illucescet, quaenam ex iis remediis adhibenda sint, de quibus supra, dum de glandularum Meibomianarum inflammatione locuti sumus, egimus. Qui exactiora hac de re scire voluerit, illi scripta *Richter* *) *Bell* **) *Pott* ***) *Belizard*

*) *Richt.* Anfangsgr. der Chirurg. Tom. II. cap. XI. Von der Thränenfistel.

**) System on the Surgery Tom. III. cap. on the fistula lacrymal.

***) Observat on the fistul. lacrymal.

zard *) commendamus. Posterior horum, prae ceteris, fere omnes tam veterum quam recentiorum methodos, fistulam lacrymalem operandi, collegit atque ex ordine exposuit.

§. 15.

De indicatis, in glandularum oculi inflammatione utiliter adhibendis, quaedam differenda restant. Juxta ea, quae huc usque exhibuimus, illa tantum remedia exponenda sunt, quae emollientia, et obvolventia, sedantia adstringentia, roborantia, repellentia ac resolventia audiunt, quorum unumquodque in peculiari glandulosae oculi inflammationis stadio, ut docuimus, adhibendum est. Et illa quidem, quae cuique acrimoniae, tanquam inflammationis fonti, opponuntur, ut Antivenerea, Antiscorbutica etc. commemorari deberent; sed quum cuique ex libris de materia medica tractantibus, tanquam specifica nota sint, ea silentio hic praetereuntes, ad illas remediorum classes accedimus, quae eodem ordine ac serie quibus

*) Abhandlungen von der Heilung der Thränenfistel und den neuesten vorgeschlagnen Operations-Methoden.

quibus inflammationis glandulosae stadia enumeravimus, subjungentur.

Remedia in primo ophtalmiae glandulosae stadio adhibenda.

1) Emollientia, eo, quod tensionem vasorum spasticam doloremque ab ea pendentem ac oscillationem minuant, in hoc stadio valde conducunt; Resolutionem adjuvant, atque accelerant.

Huc pertinent,

a) Cataplasmata ex floribus, herbis atque seminibus emollientibus, in aqua communi aut lacte coctis, e. g. ex floribus Melitoti, Sambuci, Fl. Alceae roseae, Altheae, *Chamaemeli*, Calendulae, Malvae et ex herbis Altheae, Malvae, Mercurialis Parietariae, Verbasci, herbarum quinque emollientium etc.; ex seminibus atque radicibus mucilaginosis et farinosis, quae simul acrimoniam quasi obvolvunt; e. g. ex faba, foenu graeco, Lupino albo, Ervo, secali, hordeo, avena, seminibus lini, cannabis; mica panis albi etc., in pulverem redactis; ex speciebus pro cata-

cataplasmate officinalibus, quibus adjungi possunt quaedam grana pulveris florum croci, qui praeter vim resolventem, anodyna pollet.

Ad simplicia referri demum possunt solutio gummi arabici guttatim in partem affectam instillata; epithemata ex pomis coctis et tostis, e mucilagine cydoniorum cum lacte aut ▽ Rosarum diluto; Lac ipsum tepidum etc.; porro fomentationes et vaporationes ex aqua vel tepida pura vel floribus atque herbis emollientibus superfusa.

II. Derivantia, quae hoc in stadio prosunt, humores a parte affecta revellendo, ideoque accumulationem eorum atque tensionem, ab ea pendentem, imminuendo. His adnumerentur venaesectio tam communis quam topica vel derivatoria; hirudines prope oculi canthum internum, vel pone aures applicati; Epispastica, ut Sinapismi, Vesicatoria, Cort. mezerei, fonticuli, setaceum in Nucha, aut ad Extremitates adhibita, porro Lanxantia antiphlogistica, Clysmata leniter irritantia, balnea, pediluvia, maniluvia.

III. Se-

II. Sedantia dicuntur ea remedia, quae ſenſibilitatem minuunt, et contractiones praeternaturales fibrarum, partes affectas conſtituentium, ideoque tenſionem dolorificam vel dolorem ipſum, qui in inflammatione tanquam novum atque acceſſorium irritamentum agit, mitigant aut omnino auferunt. Ea igitur inprimis huc referri merentur praeparata, ex opio tam intus ſumta, quam extus applicata, quae inter praecipue commendatur Tinctura Thebaica Pharmacopeae Londinenſis, guttatim oculo inſtillata.

Collyrium anodynum Janini ex aqua Roſarum et e Maſſa Pillular. de Cynogloſſ. compoſitum etc.

Remedia in ſecundo ophthalmiae glanduloſae ſtadio adhibenda.

Supra jam monuimus, remedia primi ophtalmiae glanduloſae ſtadii et in ſecundo penitus omittenda non eſſe; ideoque omnia mox recenſita nunc proferendis adjungi debere. Propria vero ſecundi ſtadii Remedia ſunt

r) Ro-

1) Roborantia, quibus tamen initio hujus ſtadii parce utendum eſt. Effectus autem roborantium eſt, ut partibus debilitatis cohaeſionem naturalem amiſſam, tonumque proprium reſtituant. Sed quum, ut ſupra docuimus, haec duo vitia in ſecundo inflammationis, praecipue glanduloſae, ſtadio adſint, ea merito hic commendanda veniunt. Sunt autem roborantia: Aquae aromaticae vel per infuſionem vel per deſtillationem paratae, ut Aqua Salviae, Menthae, Meliſſae, Rorismarini, Lavendulae, Arnicae, chamomillae, Aniſi, Thymi, Serpilli, Origani etc. Aquae ex herbis amaris, ut aquae Abſynthii, Marrubii albi, Rutae, Trifolii fibrini, Centaurii minoris, Verbenae, Cardui benedicti; Aqua communis fluviatilis frigida, quae vel guttatim in oculum inſtillentur vel Epithematis modo, vel balnei, oculo applicentur. His Compoſita quaedam adduntur, ut aqua ophtalmica cel. Sellii, quae ex aqua chamomillae, aqua benedict. Rulandi, Eſſentia Aloes et Liquamine Myrrhae compoſita eſt. Porro Collyrium confortans cl. Boerh. ex Aloe, Croco, uno grano opii et aqua deſtillata

Rosarum compositum, atque ejusdem collyrium ex Spiritu vini rectificati, granis quibusdam Mastich: et camphorae praeparandum. Aqua ophtalmica spirituosa *Plenkii*, Spiritus ophtalmicus *Schmuckeri* etc.

11) Adstringentia, quae praeter effectum, illi roborantium similem, et eum praestant, ut lumina vasorum ampliata, in pristinam atque naturalem coarctationem reducant, ideoque cum roborantibus in hoc stadio simul adhibeantur. Commendantur ad hunc scopum Decocta Aquosa Tormentillae; Bistortae, Florum Balaustiorum, Corticis granatorum, Salicis, Quercus; Rosae sylvestris etc.; Solutiones quorundam Metallorum, ut Vitrioli, Sacchari Saturni, Ferri, Zinci, etc. Aluminis; Aqua communis frigidissima. Ex compositis laudantur Aqua ophtalmica *Schmuckeri* ex lapide divino subtil. pulveris. et Aqua Rosarum. Aqua ophtalm. confortans *Sellii* ex Aqua chamomillae S. V. Extract. Saturn. Spir. viri camphor. Vitr. albo; Collyrium *Buchanii* ex Vitriol. alb. Bol armen. subtiliss. pulveris. Sacch. finiss. et Aqua destillat. Simpl.; Unquent. ophtalm.

ophtalm. *Janini.* Aqua ophtalmica aluminosa *Plenkii*; ejusdem Aqua opht. e Tutia atque Unguentum e Vitriolo albo; Linimentum ophthal. *Sloani* etc.

Remedia denique in tertio ophtalmiae glandulosae stadio applicanda.

Supra diximus, hoc stadium duplicem habere exitum, vel indurationis vel exulcerationis; atque ideo uterque propria requirit indicata. Quod indurationem attinet, ei occurrendum est

I. Repellentibus vel Discutientibus. Si horum remediorum modus agendi, cuique artis perito notissimus, cum causis indurationem gignentibus, conferantur ac perpendantur: facile illucescet, cur in hoc casu suggerantur. His accedunt plurima adstringentia, roborantia, et comprimentia, quae nominatim hic exponere superfluum videtur.

II. Exstirpatione; si Medicus vel Chirurgus praevideat, indurationem nec repelli nec discuti posse, statim ad exstirpationem, nisi alia adsint contraindicantia, properet: cujus Methodi speciales in libris chirurgicis occurrunt

Quod autem ad exitum exulcerationis ſpectat, ultro fatemur, nihil determinati hic, indicatorum reſpectu, ſtatui a nobis poſſe: quum, ut ſupra jam dictum fuit, exulceratio varias acrimonias pro cauſa agnoſcat, quarum unaquaeque peculiaria exigit remedia. Quodſi omnia, cuique acrimoniae opponenda, enumerari hic deberent: omne agmen eorum medicaminum, quae acrimoniae ſcrophuloſae, venereae, arthriticae, ſcorbuticae, rheumaticae aliisque medentur, exhibere nos oporteret; cujus laboris, varii autores, qui longo ſermone de his Medicamentis tractarunt, nobis otium fecere. Quaedam tamen in quocunque caſu, me judice, adhibenda, commemorare liceat! Veniunt haec nomine

I. Reſolventium, quae ſunt vel Linimenta ex plantarum ſuccis amaris atque aromaticis parata; ſapones, ut ſapo venet., Starkeyan.; olea quaedam Empyreumatica, ut oleum ♀ri, oleum philoſophorum, oleum animal. *Dippelii*, gummata atque Reſinae ut Ammoniacum, Opoponax, Bdellium, Galban: Aſa-foetida, Camphor. Mercurialia, ut ſolutiones aquoſae aut Spirituoſae Mercurii dulcis; Unguent. Neapolitan.

— politan., Tinctura cantharid. quae omnia, forma collyrii, unguenti aut linimenti adhiberi possunt, uti composita quaedam, e. g. unguentum ophtalm. Staerhii resolv. ex Butyr. recent. Tutiaque *ppt;* vitriolo cypr. et merc. praecip- rub. constans. Unguent. resolvens *Boerhaavii* simili modo paratum; solutio *Plenkiana*; aqua ophtalm. sulphurea *Plenkii* etc.

II) Exsiccantia, ut Saturnina, Bolus armen. Lap. calamin. fl. Zinci; camph. thus, Mastix; composita quaedam; Aqua vegetomineral. Aqua ophtalm. saturn. *Plenkii*, ejusdem Aqua ophtal. Aluminosa, Aqua ophtalm. Sapphirina et alia, quorum praeparationes a *Plenkio, Richtero, Bell.* et aliis expositas habemus.

III. Abstergentia, ut Aquae destillatae ex herbis amaris atque aromatibus; Balsamica, ut Liquam. Myrrhae, Aloe, Balsam. de Copaiv. de Mecca, mercurialia quaedam, ut praecipit. rubr. Aqua Phagaedenica etc.

Haec ad praesentem scopum nostrum sufficiant, plura atque hujus materiae pleniora, otio uberiori reservata sint.

NODI

NOBILISSIMO DOMINO

JOSEPHO PVLVERMACHER

S. P. D.

PHIL. FRID. MECKEL.

Ad Medicinam faciendam non egregium tantum Virum, ſed et bonum probumque requiri, qui volunt; adeo certe longe ab errore abſunt, ut potius quavis occaſione et quotidie pene teſtimonia exſtent, quanto jure haec poſcant. Silentio ſi et praeterimus eos, quos ab hoc propoſito revocare deberet corporis diſtorſio, habitus morboſus, quum, qui aliis opem ferre vult, ipſe ſanus eſſe debeat; ſenſuum tamen externorum perfectione medicus alios multos mortales ut ſuperet, jure deſideramus, quum, quo eximiore tactu, excellentiore viſu, olfactu ſubtiliore medicus gaudet, eo facilius,

cilius habitum partium alienatum, e ſignis, his ſenſibus patentibus, ſe declarantem, perſpiciet. Nec, ſi aegrorum relatione plurimis in morbis egemus, auditus medico, iſque acutus, deeſſe poteſt; et guſtus acutie qui gaudet, in remediorum virtute dijudicanda, apertam habet viam. Addas mentem ſanam corpori ſano et medicum habebis iis facultatibus praeditum, quibus ad officium ſuum aptior erit, ſi Ingenio et Judicio vel alios ſuperat vel optimis par eſt. Sed bonum etiam volumus, ut plurimos patientia, indulgentia, conſtantia, abſtinentia, morum cultu, non minus vero, pertinacia et nonnunquam crudelitate legitima, quibus ad perſeverandum ducatur, nec ab aegri inevitabilibus clamoribus emoveatur, vincat. Talem Virum Scientiae ſuae cupidum, et eximia doctrina inſtructum, TE, VIR DOCTISSIME, laurea Apollinea digniſſimum hodie Sancto Medicorum Ordini inſcriptum offero, talem, qualem, omnes qui Te norunt, ſciunt eſſe Bonum, quem omnia ea praeſtitiſſe, et eximie quidem, in arte ſua, teſtarunt Judices TVI; quem ego ſaepe aegrorum lectis adſtantem vidi, meditantem, ponderantem, licet rei peritiſſimum, conſtantem, indulgentem. Qui potuerint TIBI felices ſucceſſus deeſſe?

deesse? nec defuere, quod ego scio, nec deerunt in futurum. Abi ergo, quo fata TVA TE vocant; sis Tuis, sis Aegris solatio, quibus certe auxilio eris; mei memoria, licet a TE, quod doleo, magna via distantis, TIBI aeque grata sit, ac TVI semper penes me recordatio suavissima erit. Vale.

ATIO INAVGVRALIS MEDICA,
SISTENS QUAEDAM
DE
NDVLOSI OCVLORUM
SYSTEMATIS,
AMMATIONE

QVAM
ENSV ILLVSTRIS
EDICORVM ORDINIS,
EGIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE
MAGNIFICO ET ILLVSTRI
PP. FRIDER. MECKEL
DER. H. T. PRO-RECTORE,
ET ANATOM. PROF. P. O.
ICI CHIRVRGICI DIRECTORE ET CIRCVL.
IC. ET MANSFELD. PHYSICO,

PRO
N MEDICINA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS
E OBTINENDIS
YBLICE DEFENDET
OVEMBR. MDCCLXXXVIII.
AVCTOR,
ELIAS PVLVERMACHER
ATISLAVIA-SILESIVS.

HALAE,
RANCKE ET BISPINK.